H. Bausch

Diss. Marburg 1920

STVDIA PROPERTIANA

DE LIBERIORE VSV ABLATIVI

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS BAVSCH
OBERZEVZHEIMENSIS

MARPVRGI CHATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH (DR. C. HITZEROTH)
MCMXX

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente Theodoro Birt probata est die XV mensis Decembris a. 1919.

THEODORO BIRT

S.

Sexti Properti carmina quamquam permultos viros doctos ad interpretationem curandam et eius rationem scribendi investigandam excitaverunt, tamen ad disputandum semper novam materiem praebent. Nam multa, quae novavit, uberiorem explanationem et inquisitionem acriorem postulant. Huius rei duae causae in aperto sunt, scilicet ingenium poetae ipsius locupletius atque gravius, tum nova et docta versus pangendi ratio neotericorum, qui vocantur. Primo enim saeculo a. Chr. n. Latini poetae Alexandrinorum vestigia prementes vias adhuc ignotas ingressi sunt, ut opus poeticum non tam ex ingenio quam ex arte et doctrina efflueret. Itaque mirandum non est, quod exinde et argumenta et res metrica et genus dicendi valde mutata sunt, cum, ut Horatius ait, „principium et fons recte dicendi sapere sit." Adde quod Propertius maxime omnium illius aetatis poetarum suis legibus usus est et plus quam alii ad linguam Latinam augendam attulit. Hic mihi adnotare liceat, quod Hauptius (Opusc. III 205) de nostro poeta iudicavit „Seine tieferen und leidenschaftlicheren Gefühle ringen mit der Sprache und seine Ausdrucksweise ist nicht selten hart" aliaque eiusmodi. Ut eius animus magno ardore inflammatur, ita etiam dictio aliquid licentiae et excitationis prae se fert, unde factum est, ut in oratione saepenumero durus et in cogitationibus conectendis contortus esse videatur. Non aliter Baehrens in praefatione editionis iudicavit his verbis „suam haud raro semitam terit poeta Umber, dum vulgaria refugit novaque captat, partim felici usus audacia, partim obscurus." Itaque mili proposui aliquid ad gram-

maticam Propertianam conferre et demonstrare, quatenus Propertius contra vulgarem usum ablativum liberius adhibuerit [1]).

Quam disputationem necessariam esse Birtius vir doctissimus commemoravit [2]). Priusquam ad rem ipsam aggrediar, hoc breviter monuerim poetas Augusteae aetatis et ipsum Propertium voculas monosyllabas et imprimis praepositionum usum satis fugisse, qua de re verba fecerunt Otto Braum: De monosyllabis ante caesuras hexametri latini collocatis, Marp. 1906, et H. Hollstein in dissertatione infra commemorata. Hoc inter illas causas esse dico, quibus permotus Propertius ad ablativorum liberiorum usurpationem processerit, quae tot negotia parat viris doctis.

Ablativus localis.

Initium inquirendi faciam ab ablativo sine praepositione 'in' ibi posito, ubi locus significatur, in quo quid evenit. Nam ablativus localis praeter nomina urbium nonnullasque veteres formas locales in bona latinitate ad pauca nomina appellativa restrictus est, quae maxime attributum secum habent ut 'terra' et 'mari', quae plerumque coniuncta sunt, 'loco', 'parte', 'via' [3]). Neque tamen mirum est etiam ad has voces praepositionem apponi (Kueh. 348). Optimi autem scriptores, ut aliquo loco rem fieri exprimant, maxime praepositionem 'in' cum ablativo usurpant. Contra ablativum nominum appellativorum neque attributo neque praepositione ornatum poetae primi sibi permiserunt, deinde Hirtius, auctor b. Hisp., Vitruvius, Hyginus, quos vulgari sermoni favisse constat

1) Usus sum praeter editiones et artes grammaticas (Kuehner II 1, Draeger, Schmalz, Holtze, Neue-Wagener) his libris
Henricus Hollstein: De Monobibli Properti sermone. Marp. 1911.
Gottlieb Rasner: Grammatica Propertiana. Marp. 1917.
Guilelmus Uhlmann: De Sexti Properti genere dicendi. Monast. 1909.
Adolf Hoerle: De casuum usu Propertiano. Halis Sax. 1887.
August Wagner: De syntaxi Propertiana. Passaviae 1888.

2) Birt: Mus. Rhen. 70 Die Fünfzahl und die Properzchronologie, p. 288.

3) Lindsay: Syntax of Plautus. Oxford 1907. pg. 35.

(cf. Schmalz 387). At omnes fere post aetatem Augusti scriptores ablativum localem, ubi attributum accedit, sine praepositione 'in' ponunt, quod scriptores bonae latinitatis respuunt, nisi ubi voces 'totus', interdum 'medius', raro ubi 'omnis' et 'universus' loco attributi stant. Poetae autem ablativum quoque nudum unius nominis aliqua ex parte adhibuerunt. Praemitto Catullum et Vergilium in eclogis praepositiones multo saepius addidisse, quae sententia postea probabitur (in Aen. I ambae constructiones pari modo usurpatae sunt).

Nunc ad rem ipsam aggredior, sed restringo inquisitionem ablativi localis et separationis ad Monob. et libros IIa et IIb. In Monob. haec exempla attributo ornata inveni, quae perspicuitatis causa plena exhibeo. Non solum locum, sed etiam rem, in qua quid fit, in hanc disputationis partem voco. I 1, 14 „Arcadiis rupibus ingemuit" 2, 18 „discordia fuit patriis litoribus". Hic in memoriam revoco Caesaris b. g. 4, 23 „aperto ac plano litore naves constituit." Sed enim hic ego ablativum instrumentalem agnosco; solet enim ad 'constituere' praepositio 'in' accedere.

3, 2 „iacuit Gnosia desertis litoribus"; 3, 4 „libera iam duris cotibus Andromede". Ad hunc locum compara commentationem Birtii in Mus. Rhen. 50 p. 32, qui in adnotatione monet ablativum non ab adiectivo 'libera' pendere. Propertius enim in hoc loco depingendo ad statuam aliquam sive effigiem Andromedae iacentis spectat, quae in dura caute dormiens ficta erat, ut omnino poeta saepius res in elegis ita depinxit, ut imagine fictae erant, quod factum est e. gr. III 17, 29 ad Bacchum describendum aut in v. I 3, 8 „incertis manibus", quod postea explanabitur. Accedit, quod adiectivum 'liber' apud Propertium nunquam cum ablativo separationis coniunctum est.

I 20, 21 „placidis ut constitit oris"; 17, 4 „omniaque ingrato litore vota cadunt". Hic ambiguum est, utrum ablativus loci an causae intellegendus sit. Hertzbergius (Quaest. Prop. 137) causam significatam esse censet, quam interpretationem minus probo; nam in versibus sequentibus amator Cynthiam absentem precatur, ut irae et querellae temperet tempestatemque sedet. Querellae igitur puellae absentis efficiunt, ut vota in litore ingrato frustra cadant.

Mihi hoc intuenti ablativus loci sine praepositione usurpatus praeferendus est. In v. 17, 28 „mansuetis socio parcite litoribus“ ablativum instrumentalem intellego. Ceterum semel in Monob. 11, 14 „in tacito litore“, ter „in oris“ positum esse memoro. 20, 9 „gigantea ora spatiabere“; 8, 22 „quin ego, vita, tuo limine verba querar“; 18, 12 „nostro / limine formosos intulit ulla pedes“, quem ablativum instrumentalem accipi necesse est, ut Rasner p. 43 statuit. His formis, quae ab aliis dativi habiti sunt, id quod Neue I³ 301 et Rasner refutaverunt, addo 4, 22 „nullo limine carus eris“, ubi eadem ratione adhibitus est ablativus localis. 8, 33 „angusto lecto requiescere“ (Catull. 64, 176 „in nostris sedibus requiessent“). Schmalzius p. 381 adnotat de ablativo instrumentali disputans ei illos addendos esse ablativos, qui apponuntur verbis ‘movendi’ et ‘sedendi’. Sed Schmalzius nititur locis Tibulli, Ovidii, Livii. In prosa oratione (cf. Merguet, Cic. Lex.) atque semper fere apud poetas priores verbum ‘sedere’ praepositionem ‘in’ cum ablativo secum habet e. gr. Lucr. I 1059: „requiescere in“. Si igitur apud poetas idque raro praepositio neglecta est, mihi simplicius et verius videtur, si ibi ablativum localem, qui tam frequens apparet apud nostrum poetam, praepositone omissa accipimus. I 9, 16 „insanus medio flumine quaeris aquam“; II 14, 30 „an mediis sidat vadis navis“; II 22, 10 „quos medio vertice gemma tenet“. Si Merg. Cic. Lex. inspicimus, semel tantum locali sensu ‘medius’ sine praepositione appositum esse videmus, ubi verbum est ‘contineri’; Cic. Piso 91 „Aetolia medio fere Graeciae gremio continetur“. Catulli vero carm. 64 ter ‘medius’ cum ‘in’ coniunctum habet in vv. 48. 149. 167. Propertius ipse ‘in’ posuit: II 9, 48. 25, 23. III 16, 30. IV 1, 147. — I 11, 10 „parvula Lucrina cymba moratur aqua“; 20, 47 „facili traxere liquore prolapsum“; 14, 1 „abiectus Tiberina unda“. Hic ablativus significat propinquitatem loci, in quo quid agitur, ubi nos praepositionem ‘prope’ vel ‘ad’ exspectamus. Ita nimirum saepius poetae. Idem invenias in v. I 7, 23 „nec poterunt nostro iuvenes reticere sepulcro“; 15, 10 „desertis fleverat aequoribus“; II 2, 11 „et sacris fertur Boebeidos undis . . . composuisse latus“; II 13, 55 „illis formosum iacuisse paludibus“; item IV 3, 10. II 26, 57 „quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita“. De quo loco Rothstein haec verba facit: „Neben deinem Körper; ein

sehr bemerkenswertes Beispiel sq". Dubito vero an his verbis sensus recte redditus sit; homo enim amatorius animam suam non solum iuxta, sed potius in sua puella labris ad eius os admotis deponere vult. Non multo aliter dicit poeta I 13, 17 „et cupere optatis animam deponere labris", ubi amator pari modo puellae animam inspirare vult. Praeterea conferatur in v. II 9, 45 illud „ponere lecto", i. e. „in lecto". Inicio hunc locum IV 4, 3 „lucus erat felix hederoso conditus antro"; Rothstein voce 'antrum' non speculam designari, sed 'nemus' vel 'lucus' contendit, quod absurdum esse Birtius in praelectionibus demonstravit. Nam montes et in Arcadia et alibi saepe ita cavati sunt, ut vera antra efficiantur. In tali igitur antro, i. e. supra antrum lucus stabat. Ita etiam in v. I 2, 11 „surgat et in solis formosius arbutus antris" hanc vocem interpretari debemus; super his antris „auf den Hoehlen oben" crescit arbutus (item I 1, 11 „Partheniis errabat in antris"). Procedo ad I 17, 12 „ossa tuo sinu habere"; cave putes hunc ablativum instrumentalem esse, quia manus ossa tenet. I 12, 10 „lecta Prometheis dividit herba iugis". 18, 28 „datur inculto tramite quies" (cf. Cic. Phil. XII 11 „non idem in tramitibus Apennini facere potero"). Cum locus, quo quies datur, non, per quem motus fit, exprimatur, praepositio addenda est. 20, 10 „sive ubicumque vago fluminis hospitio"; ex versu antecedente praedicatum 'spatiabere' repetendum est, quod hic eundem sensum habet atque verbum 'requiescere'. Porro hoc versu dilucide apparet, qua industria poeta ablativo locali, quem liberius admittat, attributum addere studuerit, nam adiectivum 'vagus' proprie ad flumen refertur; sed per figuram enallagae 'hospitio' appositum est. Quam figuram, ubi ablativus liberius usurpatus est, apud Propertium saepius inveniemus. I 5, 2 „et sine nos cursu, quo sumus, ire pares", ubi poeta licentius „quo sumus" pro 'in quo sumus' scripsit. Nam verbum 'esse' notionem permanendi habet neque dici potest 'cursu esse', nisi sensum alienum captas. Nam 'cursus' significat viam vitae, quam amantes ingressi sunt, itaque 'quo sumus' describit statum et condicionem viae, in qua amantes versantur atque vice epitheti 'recepto' vel 'coepto' fungitur. Rothstein in comment. censet praepositionem ex ea causa omissam esse, quod relativum 'quo sumus' per assimilationem ad 'cursu' se accommodaverit. Neque tamen

necessarium puto hunc unum locum aliter atque reliquos explanare; nam licentia poetae in his omnibus eadem est. Ceterum cf. II 23, 6: „campo quo“ pro ‘campo in quo’. Item huc spectant I 6, 2 „Aegaeo ducere vela salo“, 17, 14 „invito gurgite fecit iter“, ubi ablativi vulgo instrumentales intelleguntur. Sed si exempla antecedentia spectas, facile locales accipi possunt. Simile est, quod dicitur „iter facere in Asia“, „in regionibus“. Et omnino dubitandum est, an Propertius ad verba movendi (cf. Schmalz 381, qui instrumentales agnoscit) nudum ablativum itineris adhiberit, nam mihi praeter ablativum ‘via’ (III 6, 36 „hac via currere“, 16, 12 „media via ire“) certa eius generis exempla non occurrerunt. Nam in v. III 1, 11 „in curru vehi“ praepositio posita est ad vehiculum. Quae etiam in sensu locali plerumque addita est, cf. II 25, 24 „in portu natat“; II 12, 7 „alterna in unda iactamur“; praecipue autem ‘per’ legitur: II 26, 29 „per mare“ III 21, 19. IV 6, 58. 66. 9, 6. 8, 18. Itaque etiam in III 7, 40 „naufraga cum vasto Graecia tracta salo est“ potius ablativus intellegendus est localis. In ceteris locis, ubi mare commemoratur, semper, ubi quid fit, exprimitur. II 15, 34 „sicco gurgite piscis erit“ (Verg. ecl. VI 76 „gurgite in alto“), 26, 2. 8. 40. — III 3, 24 „medio mari turba est“; III 21, 19 „Lechaeo (sc. portu) sedarit vela phaselus“; IV 6, 39 „vince mari“; 6, 19 „stetit aequore“. Praepositio legitur: I 11, 11. II 9, 30. III 7, 25. 11, 72. IV 1, 147. Etiam in v. II 4, 29 „tranquillo tuta descendis flumine cymba“ localem agnosco, nam ‘tuta cymba’ ablativus instrumentalis est. Cum his cf. Kueh. p. 348, in cuius exemplis non nisi ablativus ‘mari’ occurrit, isque plerumque cum ‘terra’ coniunctus, alias praepositio ‘in’. His expositis me satis demonstravisse credo versus supra allatos ablativum localem sine ‘in’ continere. Restat, ut ceteros alterius libri locales afferam. Licentius sine proepositione is ablativus ponitur, si locus clausus, intra quem aliquid fit, inducitur: II 12, 17 „siccis habitare medullis“; I 8, 24 „quo portu clausa puella mea est“; II 16, 20 „straminea habitare casa“; 23, 10 „immunda latere casa“. Haec licentia apud Catull. et in Verg. eclog. non occurrit. Sed ut enumerationem perficiam pergo. II 2, 1 „vacuo meditabar vivere lecto“; 9, 45 „meo ponet vestigia lecto“; 17, 4 „stratus utroque toro“ (legitur ‘in’ III 6, 33. 20, 14). III 1, 54 „Colchis Iolciacis urat aena focis“. 1, 62 „restituit patriis

focis" („in focis" I 1, 20). II 2, 14 „Idaeis verticibus"; 30, 26 „muscosis iugis"; 30, 36 „Bistoniis rupibus"; 13, 54 „Idalio vertice"; 8, 21 „Antigonae tumulo Haemon corruit"; 34, 78 „quo viret uva iugo" (I 13, 24 „in iugis Oetaeis", IV 7, 54 „in tumulis"). II 3, 5 „sicca harena vivere"; 34, 64 „Lavinis litoribus iacta moenia"; 10, 17 „extremis oris" (8, 31 „in litore", 25, 7 „in harena"). 3, 12 „rosae puro lacte natant folia"; 30, 17 „tibia, vado Maeandri iacta natasti"; 33, 12 „mansisti stabulis tuis"; 13, 6 „Ismaria ducere valle feras". Fortasse potius hic ablativus separationis est. 15, 10 „oscula sunt labris tuis morata"; 18, 26 „turpis Romano Belgicus ore color"; 19, 13 „feres inculto tura sacello"; 23, 6 „campo, quo"; 34, 35 „Phrygio campo errat".

Sed haec leviora, graviora vero exempla sunt, in quibus ablativus localis sine proepositione et sine attributo ponitur. Nam hic usus usque ad Livium Tacitumque in prosa oratione rarissime invenitur. Tamen apud Propertium multi eiusmodi loci reperiuntur, qui sunt in Monob. 10, 8 „caelo luna ruberet"; („in caelo" II 32, 34) quocum compara Ciceronis de Fin. V 4, 9 „sic ab iis investigata est, ut nulla pars caelo, mari, terra, ut poetice loquar e. q. s." 16, 40 „trivio pervigilare" („in triviis": II 17, 15. III 14, 22); 14, 5 „nemus intendat vertice silvas". de quo loco disputavit Rasner p. 12. Nam Hosius in indice grammatico p. 187 et Rothstein et hoc loco et in v. IV 1, 125 dativos in 'e' exeuntes acceperunt. Quos Neue Lat. Formenlehre I[3] p. 301 et Rasner recte reiecerunt. Certe ablativus nudus, ut haec exempla multa docent, omnino familiaris Propertio erat. 9, 21 „arcum medullis sentire". Etsi 'medullis' etiam instrumentum esse videri potest, quo poeta spicula Amoris in se animadvertit, tamen notio localis praeferenda est; amat enim Propertius, quod magis sensum tangit. In libro altero occurrunt: 3, 6 „ponto vivere", 15, 52 „folia calathis natare". II 28, 19 „Ino terris vagata est", 30, 27 „aspicies scopulis haerere sorores". Licet maxima ex parte 'haerere' ablativum separationis secum habeat, hic tamen locus profertur, in quo illae versantur (Verg. eclog. I 37 „pendere in arbore poma".) 'In' cum nomine appellativo legitur: II 2, 3. 6, 31. 17, 9 „in terris", 6, 10 „in cunis", 8, 30 „in tectis", 8, 31 „in litore", 13, 48 „in aggeribus", 32, 34 „in caelo", 30, 3 „in aere", 25, 24 „in portu", 29, 24 „in

lectu". III 5, 29 „salo superant venti". Cave dativum accipias, nam „superare alicui" significat „jemandem übrig sein". Ventos autem mari imperare ex omnibus poetis notum est: cf. Hor. carm. I 3, 15 „quo non arbiter Hadriae maior". III 10, 5 „stent aere venti", III 18, 3 „iacet harena", IV 1, 125 „vertice consurgit murus Asisi", 2, 45 „flos pratis hiat", 3, 56 „partem tui vindicat una toro": 'toro' dativus finalis non est, sed ad 'partem tui' pertinet. 6, 19 „stet aequore moles", 6, 39 „vince mari", 7, 19 „trivio", 10, 36 „plano sistit uterque pedem". Sequntur duo prisci locales: IV 5, 3 „nec sedeant cineri manes", IV 7, 8 „lateri vestis adusta fuit", de quibus Rasner p. 44 verba facit, qui etiam aliunde similes locos attulit.

Breviter attingo locutiones, in quibus vocabulum 'domus' occurrit, cui Propertius praepositionem omnino non addit praeter II 1, 56 „ex hac domo", 29, 20 „ad mandatam domum", IV 11, 62 „de sterili domo". Id moneo, ut praepositiones quam libenter Propertius respuerit, demonstrem. Cf. Kueh. p. 483, qui exemplis comprobat praepositiones in ablativo et accusativo adhiberi, si voci 'domus' adiectivum attributum apponatur (Plaut. Stich 507 „in patriam domum".) Apud poetas et posteriores scriptores eae nonnunquam omissae sunt: Sall. Iug. 76, 7 „domum regiam comportare". Si Merg. Cic. Lex. inspicis, hanc licentiam vix invenies neque vero apud Lucretium, sed in Catulli carm. 68, 74 „Protesilaeam domum venit". Propertius haec: I 19, 10 „antiquam domum", II, 8, 24 „Thebanam domum ire", I 6, 4 „domos vadere Memnonias", III 11, 12 „iret Aesonias domos". Item vide: II 3, 54 „Amythaonia nupta futura domo", 6, 28 „posuit casta domo", 16, 22 „una domo", 18, 8 „Eoa passa iacere domo est", 24, 24 „una domo amare", III 6, 22 „domo habere", in quo versu ablativus pro locali positus est, nisi corruptelam statuimus.

Porro ad adiectivum 'totus' adnoto Propertium et alibi praepositionem abundanter adiecisse et in ablativo locali et temporis. Apud Ciceronem in orationibus 'in' nonnunquam quidem invenitur. II 23, 11 „in toto anno"; 26, 22. 32, 34 „in tota urbe"; 29, 37 „toto in corpore"; III 11, 72 „in toto Ionio": IV 3, 31 „in toto lecto". Porro invenias haec exempla, quae praepositione 'in' ornata sunt: I 11, 18 „in hac parte"; II 30, 37 „in prima statuent parte":

II 28, 50 „in superis locis"; 30, 16 „locus, in quo"; III 15, 40 „in multis locis"; praepositio deest: I 16, 38. 19, 8. 20. II 12, 8. 21, 19. 22, 44. 32, 7. III 6, 16. 12, 14.

Restat ut commemorem, qua audacia Propertius ablativum nudum posuerit etiam ad ea verba, quae finem et quietem alicuius actionis in aliquo loco exprimant. Quae verba plerumque 'in' cum ablativo sibi assumere notum ist (cf. Kueh. 589). Structura cum ablativo nudo in bona latinitate raro invenitur, e. gr. Caes. b. g. VII 66 „trinis castris consedit"; b. g. IV 23 „naves litore constituit", ubi fortasse ablativus instrumentalis est. Livius hanc licentiam saepius admisit, quod non mirum est; tamen etiam in argentea latinitate praepositio praevalet. Verbum 'ponere' Cicero in orationibus (cf. Merg.) nonnunquam cum ablativo nudo coniunxit, Lucret. ter (IV 71. I 978. 1022) ubi 'locare', bis ubi 'reponere' legitur. Propertius praepositiones saepius omisit quam apposuit. 'In' respuit in v. I 3, 22 „ponebam tuis temporibus"; 17, 22 „poneret tenera rosa"; II 6, 28 „posuit casta domo"; 9, 45 „ponet vestigia lecto"; 11, 2 „ponit sterili humo"; 16, 3 „saxo Cerauno ponere"; 22, 44 „nullo verba ponere loco" (fortasse etiam ablativus qualitatis est); 26, 57 „ponenda tuo sit corpore vita" (III 9, 24. IV 10, 28). E contrario has praepositiones addidit: II 10, 22 „ante pedes"; 14, 22 „caput positum mecum"; 34, 94 „inter hos"; III 23, 20 „inter ephemeridas"; II 8, 5 „in lacerto positum" (II 3, 42. 13, 29. 32, 48. III 7, 25. 10, 6. 15, 16). Porro cum nudo ablativo vide: I 13, 17 „deponere"; III 23, 23 „propone aliqua columna"; 16, 25 „locet terra frequenti"; I 20, 21 „constitit placidis oris". Sequitur 'scribere': I 18, 22 „vestris corticibus", III 23, 19 „his" (sc. tabellis), IV 7, 83 „columna media". Accedit 'figere': II 13, 2 „nostro pectore", 14, 25 „tua columna", IV 1, 141 „uncum mento fixum". 'In' rarius occurrit: I 8, 25 „in oris considat"; 15, 18 „constitit in"; II 30, 37 „statuent in prima parte"; III 18, 8 „constitit in aqua"; I 3, 34 „fixa in molli toro"; IV 10, 45 „spolia in templo condita" (alias sine 'in' II 20, 10. III 18, 25. IV 4, 3. 11, 64). In usurpatione voculae 'in' verbo 'condere' appositae iam boni scriptores titubabant (Kueh. 593). In hanc seriem refero etiam verbum 'haerere': I 3, 19 „sic haerebam / Argus ut ignotis cornibus". Ne putaveris hic dativum intellegendum esse, nam

'haerere alicui' idem est atque 'intrinsecus alicui inesse'. Cum autem draco spatio quodam separatus virginem custodiat, illud 'cornibus haerebat' non nisi ablativus licentius usurpatus dicendus est; ergo 'in' praepositio supplenda est. Eandem interpretationem postulat II 30, 27 „scopulis haerere sorores", quem ablativum supra localem nominavi. Catull. 64, 316 „aridulis haerebant morsa labellis" (cf. IV 1, 110 „bene haerentes ad saxa"; Catull. 21, 6 „haerens ad latus"). His exemplis et numeris allatis apparet Propertium ablativum localem sine praepositione praetulisse, invicem autem eam saepius apposuisse, ubi alii poetae et optimi scriptores sibi non permiserunt.

Quibus expositis de ablativo locali satis actum est. Sed ut hanc rem plane absolvamus, mihi liceat breviter Verg. ecl., Catullum, Lucretium in comparationem vocare. Ex exemplis, quae Holtze [1]) p. 8 affert, elucet ablativum localem in nominibus appellativis a Lucretio rarissime adhibitum esse. Audacter sane is dicit „altis montibus": II 331. VI 963. 786; „prima fronte": IV 204; „fine palati": IV 627. Ceteri ablativi locales maxime ex vocibus: 'regio', 'locus', 'aequor', 'pars', 'totus' formati sunt atque numerus eorum parvus est. Contra autem ille non parcus est in usurpatione praepositionum. Catullum paulo maiorem licentiam sibi concessisse nunc videamus; 50, 15„ membra lectulo iacebant"; 62, 20. 26 „caelo"; 64, 343 „non illi quisquam bello se conferet"; 388 „centum procumbere tauros terra". Ablativus bimembris saepius invenitur (17, 1. 31, 10. 60, 1. 64, 1. 45. 63. 93. 225. 303. 316. 408). Iam hi numeri comprobant, quantam licentiam Catullus admiserit, praesertim cum severitatem Lucreti praesto habeas. In versu 55, 3 „te campo quaesîmus in minore" legendum est, cum in codicibus „quaesivimus" perperam traditum sit, ut Birtius demonstravit [2]). In carm. 64 praepositionem 'in' cum ablativo poeta decies quinquies, ni fallor, adhibuit, ergo paulo saepius quam omisit. Contra alterius generis ablativi liberiores in Catulli carminibus non inveniuntur. Ex ea causa lectionem v. 283 „hos indistinctis plexos tulit ipse

---

1) F. Guil. Holtze: Syntaxis Lucretianae lineamenta. Lipsiae 1868.

2) Birtii De Amorum in arte antiqua simulacris e. q. s. Marp. 1892 p. V.

corollis", quam Ellis, Muellerus, Friedrich editores recentiores ita in textum receperunt, in dubium voco. Scriptum est 'in distinctis' in codice Sangermanensi, 'indistinctis' in Oxoniensi. Catulli autem ratio scribendi praepositionem 'in' postulat, quam etiam editores vetusti servaverunt (cf. Ellisi edit.). Accedit, quod vox 'indistinctus', quantum video, apud Quintilianum demum nobis occurrit. Deinde vix quisquam hic ablativum instrumentalem intellegat, nam flores plexi corollas efficiunt. 'Corollis indistinctis' licentius iniectum esset ita, ut apud Claudian. Poll. 24 vides „ambusta favillis" (cf. Birtii praefat. CCXXII, ubi ille vir doctissimus ablativum liberius usurpatum statuit.) Hunc liberiorem usum apud Catullum alias nunquam invenias. Conferatur Lucretius, qui in v. V 1398 scripsit „corollas plectere". Ex Floro K. E. Georges (Lat. Lex.) affert „distincta radiis corona". Itaque apud Catullum quoque flores plexi sunt in corollis, quae ipsis floribus distinguuntur, qui sensus sane optimus. Ceterum 'indistinctus' non nisi cum contemptu dicitur (cf. Tacit. Ann. 7, 8. Quint. I. orat. 8, 2, 23) et idem est atque 'rudis'. Sed magistro Achillis (Hom. Il. XI 832; XVI 139) artem flores plectendi certe non abrogabimus.

Si Vergili eclogas perlustramus, frequens usus praepositionis 'in' ad locum designandum occurrit (quadragies circiter). Hos ablativos locales bimembres in eis inveni: II 40 „tua valle"; VI 43 „quo fonte"; VIII 95. 96 „haec Ponto lecta venena"; III 9 „quo sacello" (te corruperit scilicet); IV 29 „incultis sentibus pendebit uva". Quae exempla perrara sunt. Quibus pertractatis hanc conclusionem facere licet Propertium Lucreti severitatem, quamquam huius libros cognovit (cf. III 5), plane evitavisse, sed apud Catullum licentiae initia repperisse et grata habuisse, cuius tamen licentiam ipse longe superavit.

Ablativus separationis.

Paucioribus verbis hoc genus absolvam. Quod nomina appellativa attinet, usus ablativi separationis in eis maxime restrictus est; tritissimum est illud 'domo' et 'rure'. Poetae demum usum latiorem reddiderunt (Draeg. I 501; Kueh. 361; Lindsay, Synt. of

Plaut. 32). Apud comicos sparsim nobis occurrit. Cicero habet: movere loco, tribu, senatu; pellere civitate, foro, patria, sedibus; Caesar: spe labi. Similiter nonnunquam etiam verba composita, quamquam ibi apud Ciceronem praepositiones 'a', 'de', 'ex' praevalent. Nunc videamus, quam saepe Propertius ablativum sine praepositione usurpaverit. Verba simplicia haec affero: I 8, 11 „Tyrrhena solvatur harena"; 15, 29 „vasto labentur ponto"; II 19, 30 „muscosis iugis fusa"; 22, 31 „lecto cum surgerit Hector"; 23, 2 „petita lacu aqua"; 26, 19 „summo saxo mittere"; 30, 10 „humo tollere"; 32, 14 „quaeque Marone cadunt"; 33, 3 „Nilo tepente misit"; 8, 26 „eodem ferro stillet cruor"; III 1, 9. 3, 11. 6, 28. 6, 13 „teneris vestem pendere lacertis"; cf. Verg. eclog. VII 24 „sacra pendebit fistula pinu". Jahn in edit. p. 57 recte adnotat 'pendere cum ablativo' poetarum tantum proprium esse. Claudian. Rapt. II 17 „gemma suspendit" pro 'e gemma' (praefat CCXXII). Adde III 12, 22. 13, 15. 15, 42. 17, 40. 19, 26. 21, 10. 13. IV 1, 15. 2, 3. 3, 17. 7, 79. 87. Iam videamus Properti exempla, in quibus verba composita leguntur. I, 4, 2 „abire domina mea"; apud poetas ipsos hanc licentiam ablativi separationis in personis rarissime inveniri memorat Schmalz p. 387. Similia invenis apud Terent. Andr. 423 „erus uxore excidit". Hec. 139. 411. Claud. Eutrop. II 189 „principe venire". — I 20, 17 „navalibus egressam", 12, 4 „dissidet Eridano", I 12, 3 „meo divisa est lecto", II 16, 32 „vitiis abesse tuis", 7, 7 „discedere collo", 16, 50 „desiluisse aetherea domo", 21, 12 „eiecta est domo", 26, 11 „extollere gurgite", 28, 59 „magno dimissa periclo", 29, 29 „somno dimissa recenti", 31, 13 „eiectos vertice Parnassi", 34, 17 „lecto te deprecor uno" (II 28, 37. III 17. 26. 3, 21. 13, 27. 15, 30. IV 1, 106. 118. 121. 131. 9, 53. 11, 10). Ceterum adnoto Propertium praepositionem 'de' circiter ter decies, 'ex' circ. tricies, 'ab' paulo saepius ad separationem significandam adhibuisse.

Ut nota praetermittam, hoc praeterea monendum esse puto poetam audacius originem significavisse neque praepositione neque participio addito. Cuius rei nullam mentionem in artibus grammaticis inveni. III 7, 67 „o centum aequoreae Nereo genitore puellae"; certe hic ad originem designandam praepositio 'ex' postulatur, quia ne participium quidem positum est; ablativus autem

bimembris formam ablativi absoluti prae se fert. I 17, 25 „o vos, formosa Doride natae“ nullam difficultatem habet, cum vox ‘natae’ vim participii retinuerit (Verg. Aen. I 615 „nate dea“). III 9, 16 „Praxitelen propria vindicat urbe lapis“. Rothstein ablativum qualitatis liberiore modo ad vocem ‘lapis’ positum esse iudicat, quae interpretatio vix accipi potest, quia poeta solum originem affert, etsi concedo origine lapidis nuncupata simul aliqua ex parte eius naturam exprimi. Ergo mihi praepositio ‘ex’ supplenda videtur, ut sensus in aperto sit. Huc etiam pertinet III 6, 30 „cinctaque funesto lanea vitta toro“ (Band von einem Totenlager), ubi praepositio ‘de’ aut ‘ex’ desideratur, ut ex exemplis antecedentibus apparet. Haec structura praegnans, quae dicitur, prope genetivum subiectivum adaequat. Quod scripturam attinet, sequor coniecturam Heinsii, quam etiam Hosius et Rothstein in textum receperunt, cum ‘viro’ ab omnibus codicibus traditum sit. Restat III 6, 41 „quod mihi si tanto felix concordia bello exstiterit“. Codices F, L, D, V habent ‘mihi si’; cod. N habet ‘nisi et’. Itaque Lachmannus ex litteris codicis N traditis facile extricavit ‘mihi si e’, quae emendatio valde commendatur et a Phillimore, Rothstein, Mueller accepta est, cum praepositio in bona latinitate vix deesse possit. Potest tamen etiam lectio codicum F, L, D, V defendi, quam Hosius servavit, quoniam poetam ad verba, quae per se separationem exprimunt, saepius praepositionem omisisse quam adhibuisse demonstratur. Praeterea elisio inter bina monosyllaba poetis nusquam arridebat, quod Norden in comment. ad Aen. VI p. 446 docuit; cf. porro Hosii Ind. metricum p. 181. Omnino ter tantum particula ‘si’ in elisione occurrit apud Propertium II 14, 10 „si altera“, 22, 21 „si exilio“, 22, 43 „si es“, cum alias poeta hanc offensionem evitaverit.

Iam videas etiam alios poetas. Catull. in carm. 64 satis parce usurpavit praepositione praevalente ablativum separationis. V. 52 „prospectare litore“, 202 „profundere“, 208 „dimittere“, 223 „expromere“, 390 „agere vertice“, 221 „mittere pectore“, 383 „canere pectore“; etiam in reliquis eius carminibus raro occurrit. Multo minus Lucretius hunc ablativum adhibuit, quem ad pauca verba simplicia et composita coercuit (cf. Holtze p. 4). Contra Vergilius frequentiorem usum ablativi separationis adhibuit, cum praeposi-

tiones ‘a’ ‘de’ ‘ex’ rarius quam apud Lucretium et Catullum inveniantur. In ecl. sex verba simplicia cum ablativo mihi occurrebant I 62 „labi“, IV 14 „solvere“, IV 29. VII 24 „pendere“, VI 38 „carere“, IX 65 „levare“; praetera octo verba composita. In summa hoc dicendum est Propertium ablativo separationis multo spissius usum esse, si poetas antecedentes spectas; summam autem audaciam ibi assecutum esse, ubi binas notiones, quarum altera originem capit ex altera, sine praepositione et participio per ablativum coniunxit. Porro apud eum etiam separationem, quae valet de personis, ablativo nudo exprimi mirum est.

Ablativus instrumentalis.

In huius ablativi usu Propertio fortasse minima occassio fuit novandi et licentius loquendi. Paucae proprietates Propertianae inveniuntur neque afferam, quae etiam in prosa oratione usitata sunt. Schmalz p. 381 censet ad verba sedendi apud poetas ablativum instrumentalem adhibitum esse, quam opinionem secuti multi eius generis exempla etiam apud Propertium invenire sibi visi sunt. Mihi vero constat apud eum potius ablativum localem sine praepositione intellegi posse. Nam Cicero in orationibus semper praepositionem ut supra dixi adhibuit et Propertius ipse eas non rarius posuit quam omisit; cf. I 8, 6 „iacere in nave“; „requiescere in“: II 17, 15. 25, 7. Adiectivum ‘plenus’ Propertius semper cum ablativo coniunxit: II 13, 30. III 13, 28. IV 10, 6; item ‘fertilis’ et ‘gravis’, qui usus posteriore aetate occurrit: I 22, 10 „fertilis terris uberibus“; II 26, 4 „umore graves comas“. Maiorem licentiam animadvertas in iis exemplis, ubi auctor alicuius rei non addita praepositione ‘ab’, sed ablativo nudo exprimitur et homines, qui rem agunt, ut instrumenta tractantur. Certe etiam in prosa oratione hunc usum invenias, vix in prisca latinitate, nonnunquam apud Ciceronem (Milo. 54 „uxore paene constrictus“), praesertim ubi vox ‘testis’ ponitur. Caesar ad comites militares adiciendos, per quos quid fit, hanc scribendi rationem sibi raro permisit (cf. Draeg. 547; Kueh.

380). Haec Properti exempla affero: I 13, 13 „non augure doctus"; II 3, 34 „pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi". 'Hac' amicam poetae designat, ut 'per hanc' exspectemus. II 6, 6 „Phryne tam multis facta beata viris"; 34, 91 „et modo formosa quam multa Lycoride Gallus / mortuus inferna vulnera lavit aqua." Hoc loco Propertius, qui versibus antecedentibus poetas elegiacos enumerat, Gallum eo modo inducit, ut eius amorem in Lycoride ardentem memoret. Ex sententia nostri poetae amor semper curae et dolori est atque vulnera affert (II 13, 2 „spicula tot nostro pectore fixit Amor"). Hic autem nova versio nobis occurrit, quia vulnera non a deo, sed ab amica ipsa inferuntur. Similiter in primo versu Monobibli dicitur „Cynthia prima me cepit" aliaque similia. Certum est vulnera amoris intellegenda esse. Itaque etiam 'mortuus' non designat mortem veram, quae cogitatio sane vocibus 'inferna aqua' exprimitur, sed id sonat Gallum in Lycoride plane deperisse; cf. II 3, 46 „acrius, ut moriar, venerit alter amor". Itaque 'Lycoride mortuus' coniungendum est ut I 13, 13 „augure doctus"; Calpurn. IV 87 „Apolline comitatus"; Hor. ep. I 1, 94 „tonsore curatus". Rothstein ablativum qualitatis liberiorem accipit, quae interpretatio non satisfacit. Omissio praepositionum, quae breviloquentiae faveret, ab ablativo locali et separationis ad ceteras quoque relationes translata est. Tamen saepius figurae, quas dicimus praegnantes, ubi bina nomina praepositione coniuncta sunt, in Properti libris leguntur, exempli gratia in v. IV 10, 9 „Acron Caecina ductor ab arce" IV 9, 9 „raptor ab antro metuendo" III 9, 1 „Maecenas eques de Etrusco sanguine". Quid nos impedit, quominus poetam in talibus figuris etiam praepositione neglecta eandem brevitatem appetere potuisse credamus? Itaque 'Lycoride' non tam ablativum instrumenti liberiorem dixerim quam poetam consulto praepositionem 'a' sprevisse. Item ablativum a participio praepositione 'a' neglecta pendere puto in v. III 5, 18 „optima mors, Parca quae venit acta die". Sed difficilior locus et iudicium praefero continere. III 22, 11 „Colchum propellas remige Phasim"; II 22, 39 „aut si forte irata meo sit facta ministro"; II 33, 29 „iugulate Cecropiis colonis". Dativus auctoris quidem statui potest, sed ablativus personae agentis secundum ea, quae antecedunt, certe praeferendus est. Cf. Claudian. IV cons. Hon. 537 „prostratus Apolline (vide praef. Birtii

CCXXII). II 15, 13 „ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena“. Verba ‘perire’, ‘deperire’ alibi accusativum secum habent. Cf. II 30, 29 „deperditus Io“; Catull. 35, 12 „illum deperit“; item 100, 2; Terent. Heautont. 525; Plaut. Poen. 1095; Apul. Met. 3, 16. Praeterea etiam praepositio ‘in’ cum ablativo ponitur I 13, 7 „perditus in quadam“. Ergo ille ablativus, qui instrumentalis dici potest, certe contra consuetudinem usurpatus est. II 29, 41 „sic ego tam sancti custode relegor amoris“. Lectio incerta est neque in promptu veri restitutio; certe ‘recludor’, quod sensum ineptum infert, repudiabimus. In codice N traditum est ‘custode reludor‘, quod Phillimore tenebat. Muellerus ‘excludor’ textui inserebat. Birtius olim in diss. [1]) p. 30 duce codice N ‘relegor’ proposuit, quam emendationem etiam nunc mihi commendabat. Unum exemplum affero, ubi poeta non male praepositionem evitavit: II 30, 35 „quaedam compressa figura Oeagri“. Oeagrus igitur ipse tamquam recedit et eius loco corpus eius quasi auctor actionis inducitur. Tales ablativos instrumentales videas quaeso apud Tib. I 7, 1 „forti milite victus“; Ov. Met. III 105 „territus hoste“; Her. XII 162 „deseror coniuge“; Claudian. Stil. III praef. 21 „Stilicho, quo concidit alter Hannibal“; ‘quo’ pro ‘a quo’. Apud Lucretium, Catullum et in Verg. ecl. talia non inveni.

Contra usum receptum ablativus instrumentalis positus est ad verba, quae in bona latinitate praepositionem secum habent. I 14, 2 „Lesbia Mentoreo vina bibas opere“. Lucilius quidem (frag. 303 in edit. Marxii) eundem ablativum nudum usurpavit „poclo bibo eodem.“ Supplendum est ‘ex’, nam nonnullis Properti locis: I 5, 6. II 26, 32. III 5, 4. IV 4, 14 verbum ‘bibere’ cum praepositione ‘ex’ coniunctum invenias, cum in argentea latinitate praepositio ‘in’ irrepserit in usum. Supersunt versus, qui aliqua adnotatione digni esse videntur: IV 1, 56 „qualia creverunt moenia lacte tuo“, ubi audacissime per metonymiam ablativus ‘tuo lacte’, lupae scilicet, ad moenia relatus est. Hoc est exemplum eximium breviloquentiae Propertianae. Porro IV 1, 66 „ingenio muros aestimet ille meo“. Hic ablativus per se facile agnosci potest instrumentalis, qui proprius est verborum ‘aestimandi’ et ‘metiendi’ (Kueh. 391).

---

1) Birt: Ad historiam hexametri Latini symbola, Bonn 1876.

Hertzbergius vero (Quaest. Propert. l. l.) 'ingenio meo' ablativum causae esse censuit pro 'propter ingenium meum'; quae interpretatio vix probari potest.

De ablativo liberiore et absoluto.

Iam vero ad ea, quae Properti maxime peculiaria sunt, veniamus, quaeque ut ab usu recepto distant ita Propertio familiaria sunt. Cum adhuc demonstraverim saepius contra consuetudinem a Propertio ablativum localem, instrumentalem, separationis admissum esse, nunc ablativos liberrime admissos tractabo, qui breviloquentiae causa usurpati sunt et Umbri poetae flagranti animo praeruptoque sermoni respondent. Quos ablativos uno verbo ablativos liberos nominemus, qui neque cum antea congestis neque cum ablativo absoluto sollemni confundendi sunt neque ceteroquin in usu erant. Ad hanc disputationis partem velim conferas, quod Birtius in Mus. Rhen. tomo 51 p. 499 docuit, qui etiam affert in editione Claudiani p. CCXXIII exempla Claudiani haec: Gild. 416 „praecipuos electa pube maniplos"; Rapt. III 447 „canibus reductis pars" aliaque. Inspice vers. I 2, 29

„unica nec desit iocundis gratia verbis".

Noli enim 'iocundis verbis' dativum interpretari, quia ad vocem 'desit' ex superiore versu iam dativus 'tibi' mente supplendus est. Neque ablativus qualitatis accipiendus est ut Rothstein opinatur. Nam quis hominum huic apposito re vera notionem qualitatis inesse censeat! Neque adeo ablativum absolutum probo, quippe qui semper vice sententiae secundariae fungatur et actionem comitantem exprimat, quique hoc quidem loco si statueretur, idem esset atque sententiuncula 'cum verba iucunda adsint'. At re vera 'gratia' est, quae iucundis verbis nascitur; itaque ablativus pro genetivo legitur 'gratia iucundorum verborum', quae genetivi terminationes nimirum, quia turpiter sonabant, poetae vitandae fuerunt. Birtius l. l. pronuntiat „Scias tamen Properti peculiare hoc esse, ut ablativum duplicem sive absolutum pro genetivo exhibeat possessivo". Non aliter interpretor I 4, 13 „multis decus

artibus", id est decus, quod multis artibus profertur, in qua sententia 'multis artibus' et originem et instrumentum decoris addere videri potest. Item II 34, 27: „Sapientia Socraticis libris'. Significatur sapientia, quae Socraticis libris continetur vel librorum Socraticorum. Quo tamen in exemplo etiam ablativus qualitatis statui potest. Sequuntur vero exempla satis multa, in quibus poeta ablativo insolentius civitatem dedit, ubi is casus vix tolerari potest et genetivus paene necessarius videtur. II 13, 23 „desit odoriferis ordo mihi lancibus" dictum est pro 'ordo odoriferarum lancium'. II 32, 13 „creber platanis surgentibus ordo" idem valet atque 'ordo platanorum surgentium'. II 13, 19 „nec mea tum longa spatietur imagine pompa" idem quod 'pompa multarum imaginum'. Nam ad substantiva quantitatis ab auctoribus ceteris genetivus semper apponitur. Eodem modo huc spectat I 2, 2 „et tenues Coa veste movere sinus". Vox 'sinus' eam partem vestis significat, quae pectus tegit, ut 'Coa veste' licentius pro genetivo partitivo positum sit, qui casus in prosa oratione postulandus est. Quapropter id, quod Rothstein, qui ablativum qualitatis intellegi vult, ad hunc versum adnotat, non probo. Hoc quidem concedo duo nomina epithetis ornata per abundantiam esse coniuncta, cum iam 'Coa vestis' per se plane definitum sit atque in ambulando non solum sinus, sed tota vestis moveatur. Elocutio igitur 'tenues sinus' hic non est nisi ornamentum poeticum, quod sermonem sublimem reddit atque uberiori descriptioni inservit. II 32, 11 „umbrosis sordet Pompeia columnis porticus"; intellegas: 'sordet tibi porticus Pompeia umbrosarum columnarum' vel 'umbrosis columnis praedita'. His exemplis addo II 24, 12 „et manibus dura frigus habere pila", ubi ablativo 'pila' genetivus subiectivus 'pilae' praeferendus fuit, quoniam frigus ex dura pila oritur. Quocum conferas unum exemplum, quod in Verg. Ecl. III 39 inveni „quibus (sc. poculis) addita vitis diffusos hedera vestit pallente corymbos"; hic enim genetivus auctorem indicans 'corymbos hederae pallentis' poscitur. Qui ablativus intellegendus sit, ambigas. Mihi quidem optimum videtur ablativum originis agnoscere; nam Mantuanus poeta verbis separationis saepius ablativum praepositione neglecta addidit, ablativum localem ea carere fere noluit. Cur igitur non suspicemur poetam ablativum originis etiam cum substantivo

eadem brevitate coniunxisse, quam apud Propertium tam frequentem invenimus? Contra ablativus absolutus agnosci non potest, quia non actio comitans, sed origo corymborum designatur. Ergo ablativum separationis accipiam, qui etiam ad nonnullos Properti locos interpretandos sufficere videtur. Itaque ad hunc redeamus. IV 3, 63 „gloria ascensis Bactris" idem est quod 'gloria ascensorum Bactrorum', ut poeta ipse scribit in versu III 12, 3 „spoliati gloria Parthi". IV 9, 36 „cava palma suscepto flumine", ubi genetivus materiae paene necessarius est. II 29, 35 „apparent non ulla toro vestigia presso"; idem ablativus pro genetivo possessivo legitur ; etenim fieri non potest, ut localis 'in presso toro' statuatur, quia vestigia re vera non apparent, neque absolutus 'cum lectus pressus sit', qui contrarium sensum continet atque ineptias infert. Ergo haec, quae sunt 'vestigia presso toro' unam notionem efficiunt et eodem sensu dicuntur quo 'vestigia pressi tori'.

Nunc mihi liceat quaestionem, unde Propertius ad hanc licentiam inductus sit, perstringere. Certum est in his exemplis allatis ablativum absolutum cogitari non posse, quia ablativi fere semper appositi sunt substantivis, nunquam autem in loco sententiae secundariae sunt. Itaque hic ablativus bimembris falsam speciem ablativi absoluti prae se fert. Rothstein in commentario et Uhlmann in diss. p. 39 ablativos qualitatis esse censebant, qui summa cum libertate usurpati essent. Attamen tales ordines neque meram et solam qualitatem inferunt neque igitur puto eos ex hoc ablativo exortos esse. Hertzbergio autem et Birtio persuasum est ablativum cum substantivo coniunctum pro genetivo positum esse. Iam vidimus ante Propertium licentiam invasisse, qua ablativum localem et separationis sine praepositione scriptores adhibebant, qui usus cupidissime arripiebatur a Propertio, qui semper studet ablativos binarum vocum afferre. Qui ablativi paene eandem speciem prae se ferunt atque ii, de quibus nunc disputo, neque dubitari potest, quin minus arte quam si praepositio admissa sit, cum verbo regnante cohaereant atque aliquam vim sibi propriam obtineant. Itaque sic velim iudicemus eas formas, quae propria vi uti videntur, liberiore modo a Propertio adhibitas esse, ut omnes quaslibet relationes, quae sunt inter substantivum et substantivum, exprimant. Quod si est, concluditur ablativos bimembres saepenumero ipsis nomini-

bus apponi, ut locum, originem instrumentumque significent, vel pro genetivo atque pro dativo, de quo in fine huius partis dicitur, usurpatos esse. Audacia huius licentiae, quam hic poeta in praedilecto habebat, in eo posita est, quod ante Propertium qualitates tantum rerum ablativo bimembri apposito reddebantur. Concedo non raro dubiam et ancipitem esse posse interpretationem, id quod valet etiam de hoc testimonio, quod superest I 2, 14 „volucres nulla arte dulcius canunt". Audiamus Hertzbergium, qui in quaest. Prop. id ipsum, quod ars non adsit, causam cantus dulcioris esse iudicat. Quamquam id non inscite dictum est, tamen non puto poetam id subtilitatis in carmine elegiaco sibi concessisse. Deinde ablativum modalem aliquis accipiat ea lege, qua legimus „magna arte canere", ubi 'magna arte' adverbium adaequat. Sed in versu, de quo agimus, iam legitur adverbium „formosius", ut ablativus modalis vix tolerari possit. Superest, ut ablativum absolutum agnoscam, qui eodem sensu positus est quo 'nulla arte adhibita'. Scriptores enim inde a Cicerone per analogiam ablativi absoluti, in quo saepius aut substantivum aut adiectivum vi praedicativa pro participio admittitur, etiam vocabulum 'nullus' loco praedicati usurpare solent, etsi eius vis attributiva est. Comparentur Cic. de fin. III 22, 75 „nulla belli causa"; ad Att. II 23, 2 „nullo adversario"; pet. cons. IX 38 „nulla impensa" (cf. Draeger II 807). Non aliter hic 'nulla arte' scriptum est. Hertzbergius ipse ablativum instrumentalem, quem proposuit, mirum esse sentiebat, sed ad nostram interpretationem pervenire non poterat, cum abbreviationem „nulla arte" sententiae condicionali aequaret dicens in quaest. Prop. p. 137 „cum aperte sit: si nulla ars adest", quae condicio re vera ablativo absoluto reddi non solet. At ille vir doctus de condicione falso verba facit, quia aves secundum suam naturam itaque semper sine arte canunt; immo causa affertur hoc sensu 'cum nulla ars adsit', qualis sententia causalis saepe ablativo absoluto compensatur.

Satis de ablativo liberiore, quem vocavi, dictum est, nunc procedo ad aliud locorum similium genus, quos omnes accurate enumerare et copiosius expendere meum est. Obiter intuentibus figuram ablativi absoluti praebent. Sin autem structuram in artius contractam in sententiam pleniorem resolveris, animadvertes secundam

vocem non praedicativa vi, sed attributiva esse. Videas quaeso v. I 17, 21 „illa meo caros donasset funere crines“; intellege: ‘cum funus meum fieret’, sed locutio ‘meo funere’ praedicatum non habet. Ut vero exempla sequentia luculente pernoscamus, primum unde ablativus absolutus in latinitate ortus sit quoque officio fungatur, paucis verbis exponendum mihi esse videtur. Si Schmalzium p. 388 audimus, ablativus absolutus ex instrumentali cum attributo amplificato ortus est. At nescio an modalis potius dicendus sit, quoniam ablativus absolutus adnotationem adverbialem continet, qua instrumentum, causa, locus aut tempus sententiae non subordinatae adduntur. Porro dubium non est, quin ille ex ipsa structura sententiae solutus exprimat comitantem actionem sive eam quae aliquam relationem ad sententiam primariam habet. In ablativis bimembribus ex sententia recta solutis prior vox loco subiecti stat, altera vi praedicativa est, exempli gratia vide Plauti Pers. v. 753 „civibus salvis“, aut apud Propertium II 9, 51 „mihi si media liceat pugnare puella“: I 8, 10 „tardis Vergiliis“. Quae adhuc dixi, ad ablativum absolutum eum pertinent, qui sententiam secundariam compensat. Iam vero ad ea exempla procedo, ubi ablativus absolutus non potius actionis alicuius secundariae mentionem infert quam adnotationem adverbialem, quae cum actione primaria artius conexa est. Verumtamen ab ablativo modali, qui praedicato tantum sententiae rectae consociatur, separandus est. Quamquam facile fieri potest, ut ablativus absolutus et ablativus modalis vix discerni possint, proptereaque ablativus absolutus is, qui notionem causalem habet, ad modalem refertur ab Holtze p. 176 et a Kuehner II 1, 410, cum Draeger II 804 tales locos inter ablativos absolutos numeret velut Plauti Asin. 166 „semper tibi promissum hac lege, dum superas datis“. Deinde cum ablativus absolutus actionem significet, quae cum alia actione in idem tempus incidit, mirum non est, quod saepius sicut ablativus temporis tractatur (cf. Holtze p. 112), velut scripsit Cato de agric. 40 „ficos inseri oportet luna silenti“; Prop. II 17, 15 „in triviis sicca requiescere luna“: quae tamen confusio mihi non placet. Maximam autem difficultatem parant ea exempla, in quibus substantiva abstracta vice praedicati funguntur. Quae figura non saepe in prisca latinitate occurrit, cf. Plaut. Rud. 910: „salute horiae“, quod idem est atque ‘horia salva’.

Nunc ad Propertium ipsum nos convertamus, qui formas, in quibus nomen abstractum usurpatur, frequentissime admisit; tales ordines et priore et ipsa Ciceronis aetate paene inauditi erant. Nam illud Plautinum 'salute horiae' facile ablativus modalis censeri potest. Sed videamus similes locos, qui apud Ciceronem et Caesarem inveniuntur. Cic. ad. Att. X 13, 3 „hac iuventute"; Phil. 13, 29 „his consularibus"; Lael. 54 „illa superbia"; pro Marc. 68 „nostro periculo"; Caes. bell. gall. II 1 „nostro imperio" aliaque similia profert Draeger II 807. Kuehner, qui tales locos ablativo modali adnumeravit, tamen nonnullos ad ablativum absolutum potius spectare concedit. Conferatur illud 'nulla arte', quod supra interpretatus sum, in quo 'nulla' locum praedicati obtinet; ita in his quoque locis ex mea quidem sententia pronomen demonstrativum loco praedicati stat, quod sententiis antecedentibus accuratius definitur atque certam notionem continet velut in forma „hac iuventute", quod idem valet atque 'cum iuventus talis sit'. Magnam autem differentiam apud poetam, de quo agimus, reperies, si hos locos examinabis I 17, 21 „meo funere"; I 17, 23 „extremo pulvere"; I 19, 19 „mea favilla"; III 6, 24 „mea morte"; I 4, 23 „suis fletibus"; I 6, 11 „his querellis"; I 21, 3 „nostro gemitu"; I 15, 27 „nostro periclo". Hi enim substantivorum ablativi actionem aliquam propria vi significant, quae tamquam causa vel condicio alterius actionis est. Propertius autem sententiam subordinatam non in tralaticiam ablativi absoluti formam transtulit, sed ablativo nominis abstracti attributo ornati reddidit atque sic adnotationem adverbialem sententiae primariae intexuit. Qui vero attenderit, dubitet, an ablativi absoluti exstent, cum praedicatum deesse videatur, si sententiam secundariam substituere conemur. Gravissimum est semper hic bina vocabula esse, quae in ablativi casu coniunguntur. Est igitur quaedam quasi imitatio ablativi absoluti. A Birtio in praelectionibus de syntaxi ablativus absolutus 'res acta pro rei actione' nominari solet, velut si quis dicit „ab urbe condita"; id dictum est pro „a conditione urbis". In his autem exemplis e contrario 'rei actio pro re acta' conspicitur. Sed iudicia de locis discedunt. Hoerle enim eos inter ablativos modales sine ulla dubitatione numerat, quae opinio certe displicet. Neque in comparationem vocetur Plaut. Merc. 824 „mater rure rediit sua salute", ubi 'sua

salute' idem est quod 'salva' et ablativus modalis mea quidem sententia facile intellegi potest.

Omnia fere exempla illa notionem temporalem habent praeter I 21, 3 „quid nostro gemitu turgentia lumina torques?", ubi 'nostro gemitu' potius causalem vim continet neque aliud significat atque 'nobis gementibus', ut docuit Birtius in Mus. Rhen. tom. 70, p. 289. Pronomen igitur possessivum quasi loco subiecti, nomen abstractum 'genitu' praedicati fungi videtur. Rasner quoque in diss. p. 40 nonnullos locos summatim percensuit. Huc spectat I 17, 21 „illa meo caros donasset funere crines", ubi 'meo funere' compensat sententiam subordinatam 'cum fieret funus meum'. Quem ablativum temporis nominare non possumus, quoniam is non indicat nisi momentum temporis certum, vel partes temporis, quae idem valent atque 'die', 'mense', 'iuventute' aut alia, quae certum temporis terminum definiunt. Nunquam autem invenias apud scriptores Latinos res in ablativo exhibitas tempus alicuius actionis futurum significare, sed id solum affirmari potest in versibus illis Propertianis binas actiones tempore futuro confluere. Itaque in promptu est illud 'meo funere' notionem temporis relativam habere, sed ablativus temporis nequaquam dicendus est. Item velim interpreteris hos versus: I 17, 23 „illa meum extremo clamasset pulvere nomen", ubi 'extremo pulvere' est pro sententia secundaria 'si pulvis factus sum', idque paene idem est atque 'me mortuo'. I 19, 19 „quae tu viva mea possis sentire favilla", ubi ablativus 'mea favilla' liberius usurpatus idem exprimit quod 'me mortuo', ut Hollstein in diss. p. 23 optime statuit. III 6, 24 „si placet, insultet, Lygdame, morte mea", ubi 'mea morte' eodem sensu dicitur atque 'cum mors mea advenit', sive pro ablativo absoluto 'me mortua'. Hoc loco Scaliger 'meae morte' scribi voluit, hunc dativum esse iudicans a verbo 'insultet' dependentem. Sed dativi formae in vocalem -e exeuntes tertiae declinationis a Rasnero tandem plane optimoque iure reiectae sunt. Et Burmannus dativum subaudiri iubebat dicens „eam enallagen casuum Propertianam esse", ut Hertzbergius in commenti p. 275 adnotat. Conferas porro Rothstein, qui ad hunc locum scribit: „Es ist ein freigebrauchter Ablativus absolutus." Si vero quattuor exempla antecedentia inspiciemus, cum admiratione videbimus poetam eandem notionem 'me mortuo' quattuor dictionibus diver-

sis, quae mortis ispius notionem praebent, expressisse eo modo, ut pro actione ipsa tamquam pictura vel imago oculis nostris subiciatur. Accedit I 4, 23 „nullas illa suis contemnet fletibus aras“, ubi ‘suis fletibus’ idem est atque ‘quotienscumque flet’, quae sententia secundaria vix ablativo absoluto aut participio coniuncto reddi potuit. Ceterum hoc quidem loco ablativus ‘suis fletibus’ licentius usurpatus est eodem modo quo alibi ablativus absolutus, ibi scilicet, ubi eius subiectum etiam in sententia primaria regnat; cf. Plaut. mil. glor. 559 „ego me sciente.“ Adde I 6, 11 „his ego non horam possum durare querellis“. Etiam hic Birtius in Mus. Rhen. tom. 70 iudicat ‘his querellis’ pro ‘hac querente’ dictum esse. Certe Rothstein dativum non recte interpretatus esse videtur. Nam ad verbum „durare“ obiectum „horam“ referendum est, qui usus accusativi pervulgatus in scriptoribus occurrit. Ergo idem verbum non insuper alterum obiectum dativi secum habere potest. Immo ablativum statuentibus nobis nulla omnino difficultas obest, cum haec constructio iam Ciceroni et Caesari familiaris fuerit, id quod iam supra perstrinxi. Nam pronomen ‘hic’ ab iis in ablativis bimembribus hic illic loco praedicati adhibebatur, ea nimirum ratione, ut pronomen ex sententiis antecedentibus certum significatum accipiat, quod etiam in hoc carmine accidit. Breviter exempli gratia in memoriam voco Cicer. ad Att. XI 14, 2 „omnium conspectum horreo, praesertim hoc genero“, quem ablativum Draeger II 806 sic circumscribit „cum talis sit gener meus“. Lael. 54 „illa superbia et importunitate“. Quamquam ergo pronomen demonstrativum nonnunquam secundum suam naturam loco praedicati stat atque in hoc versu Propertii I 6, 11 ablativus absolutus vulgaris cognosci potest, tamen praesertim si exempla antecedentia spectamus, poetam figuram abstractam consulto praetulisse structurae participiali credamus. Huc pertinet etiam I 15, 27 „audax, ah, nimium nostro dolitura periclo“, ubi mihi quidem ablativus ‘nostro periclo’ peculiariter et licentius usurpatus esse videtur, nam re vera vicem actionis explet, quae cum altera actione cohaeret. Hic igitur sensus apparet: ‘tu nimis dolebis, dum ipse periclitor’ vel, si mavis ’me periclitante’. Ablativum simillimum invenis in Cic. pro Marc. 25 „noli nostro periculo sapiens esse’, quem Draeger l. l. absolutum prisco more formatum esse opinatur. Quod non probo, cum

possessivum 'noster' vi praedicativa non sit. Attamen concedo utroque loco ablativum modalem, qui rem comitantem exprimit: 'zu unserm Schmerze' fortasse intellegi posse. Postremo vide II 9, 52 „mortem ego non fugiam morte subire tua", ubi non tempus, sed condicio actionis principalis exprimitur, et hic sensus est: 'ea condicione, ut mors tua adsit, ego mortem subire non fugiam'. Haec sententia ablativo modali, ut Holtze p. 176 putat, reddi non postet, neque vero ablativus absolutus 'te mortuo' tolerari poterat. Tamen Propertius hanc condicionem ablativo bimembri protulit.

Structurae igitur, ut summam faciamus, de quibus egimus, neque ut adnotationes adverbiales ad sententiam primariam referendae sunt neque ablativi absoluti dicendi sunt, cum alibi, quantum video, non inveniantur, sed aliquo modo ablativi absoluti structuram aequant. Si placet, ablativos absolutos liberrime formatos vocabimus. Omnino apud Propertium studium abstracta usurpandi pro concretis multifariam observatur velut his locis: I 6, 24 „lacrimis omnia nota meis", id est 'quae mihi lacrimanti nota sunt'; I 19, 18 „cara tamen lacrimis ossa futura meis". I 13, 23 „amor Herculis"; I 20, 15 „error Herculis", cf. Rothstein ad h. l., qui plura exempla collegit. Usurpavit autem Propertius has figuras, ut videtur, ad breviloquentiam augendam, quae elegantiam quandam prae se fert atque argumento carminum elegiaco sensibusque excitatis respondet. Certe altiorem effectum in animis legentium profert quam dictio Tibulli facilis commodeque currens. Denique ad licentias, de quibus disputavi, quasi viam aperit tale exemplum, quale habet Cicero ad Quint. fratr. I 4, 2 „quid sperem potentissimo inimico, dominatione obtrectatorum", ubi 'potentissimo inimico' verus ablativus absolutus est, contra illud 'dominatione' ab omni fere lege solutum videmus; intellege: 'dominantibus obtrectatoribus' estque hic adhibita 'rei actio' pro 're acta'. Simile quid apud Propertium accidere demonstrasse mihi videor.

Quo deverticulo relicto in locis recensendis pergo difficilioribus, qui tenui modo discrimine inter se differunt atque in quorum interpretatione existimatores valde titubant. Mea quidem sententia ablativos absolutos legitimos intellegere debemus, qui sane non actionem comitantem continent, sed solum adiectivum compensare videntur. Vide quaeso exempla: II 9, 16 „aderat Scyria nec viduo

Deidamia toro". Codices, ne id praetermittam, habent 'viro'. Itali 'toro' dederunt, quod editores optimo iure typis impresserunt. Iam vero 'viduo toro' ablativus absolutus est talis, ut loco adiectivi 'vidua' fungatur. Nomine 'torum' iniecto lectoris scientia nullo modo augetur, sed tamen eius animus imagine 'tori' afficitur et ad contemplationem incitatur, quam rem Propertius in praedilecto habebat. Ergo intellegendum est 'nec aderat vidua Deidamia'. Nec aliter interpretor II 8, 37 „at postquam sera captiva est reddita poena", ubi Rothstein ablativum „der Identität", quem vocat, subaudiri vult, quae opinio ad meam paene accedit. Nam certe dictiones 'captiva est reddita' et 'sera poena' idem significant; nam poena, quae Achilli reddebatur, Briseis ipsa est, quae sero sane ei reddita est. Sufficiebat hoc loco 'sero reddita est'; poeta 'sera poena' pro adverbio 'sero' scripsit, ut rem plenius et exornatius efferret. Ceterum neque apud Catullum neque in Verg. Ecl. et Aen. l. I testimonia huius generis inveni.

Placet iam eos locos apponere, in quibus ablativus absolutus appositum alicuius substantivi reddere videtur, cum iam certam notam teneamus, qua nisi hos locos, de quibus iudicia valde differunt, facilius rectiusque cognoscere possimus. Iam supra in ablativo, quem breviter vocavi liberiore similia exempla tractavi, quae arte inter se nexa sunt, neque dubium est, quin ibi ablativus semper fere positus sit pro genetivo. Exempli gratia II 32, 13 „ordo surgentibus platanis". Difficilius hic res se habet, et quamquam a multis interpretibus statuuntur ablativi absoluti, tamen de hac opinione dubitari potest. Neque vero multum interest, utram opinionem sequamur, quia hi ablativi utique audacissime et liberrime usurpati sunt. Nam si ablativum absolutum agnoscis, eum ubique licentius et obscurius scriptum esse notandum est, ut relatio quaedam inter bina nomina exprimatur, ubi ceteri scriptores eius loco aut genetivo aut alio auxilio uti solent. Id autem confidentius statuendum est ablativos bimembres appositum vel supplementum ad aliud nomen principale continere et arte cum illo coniunctos esse eo modo, ut adiciant aut instrumentum eius aut causam aut originem. Quae additamenta praeter ablativum qualitatis auxilio participii aut praepositionis aut genetivi exprimi solent. Uhlmannus

forma huius ordinis exteriore videtur adductus esse, ut ablativum qualitatis licentius esse usurpatum affirmaret. Haec autem interpretatio vix admittenda est in sequentibus exemplis; ceterum ille non respicit, quae Properti in ablativi usu propria sunt quaeque in eo novavit. Quae detegere utile est, cum non solum qualitates, sed etiam aliae relationes adiecto ablativo binorum verborum apud Propertium proferantur. Quod his exemplis comprobemus: III 17, 21 „dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus“. Poeta de fabula, quae est Semelam fulmine ictam Dionysum peperisse et deum, a matre partum Aetnaeo fulmine, cantaturus est. In hac structura, quam ego dedi, ‘Aetnaeo fulmine’ ablativus causae est et ad participium ‘partum’ quod supposui pertinet. Sed poeta suo more conformationem participialem repudiat et nomen abstractum ‘partus’ inducit, quod tamen illum ablativum causae, qui cum participio optime coniungebatur, secum retinet, ut locutio evadat ‘partus Aetnaeo fulmine’. Unde elucescit, cur poeta hunc ablativum causae aliquo participio velut ‘effectos’ vel ‘maturatos’ non fulserit. Itaque Hertzbergii sententia mihi displicet iudicantis poetam per ellipsin praedicatum ‘strepente’ vel similia omisisse, cui opinioni iam saepius repugnavi. Neque qualitatem prolatam esse facile cognoscas ex eis, quae modo exposui. Nescio an subtiliorem explanationem postulet v. IV 7, 77 „et quoscumque meo fecisti nomine versus“, ubi ablativus certe ad substantivum ‘versus’ pertinet. Neue-Wagener I ^{3}, 301 ad hunc ablativum adnotat: „Es sind Verse, in denen der Name der Sprechenden vorkommt, wenn nicht „meo nomine“ heißen soll „um meinetwillen“. Neue ipse primam sententiam verisimiliorem habet neque mihi alius sensus in eo versu conditus esse videtur. Nam quoscumque versus Propertius de Cynthia scribebat, eos non a Cynthia iussus ludebat, sed amore iubente. Hoc poeta ipse professus est in carmine II 1, 16 „maxima de nihilo nascitur historia“ aut II 30, 48 „nam sine te nostrum nil valet ingenium“ „ohne dich kann ich nicht dichten“, cf. E. Maass, Herm. 31 p. 386. Quam ob rem ablativum modalem, qui idem valet atque ‘meo iussu’, agnoscere non possum. Immo vero illud ‘meo nomine’ materiem aut argumentum versuum effert ita, ut sententiam relativam compenset ‘versus, qui meum nomen

continent', et ablativum qualitatis paene adaequat. Sequitur IV 2, 34 „Faunus plumoso sum deus aucupio". Hic appositione 'plumoso aucupio' designatur captura avium, qua deus imprimis delectatur. Quae consuetudo Fauni non aliter atque si qualitas eius describatur, ablativo hoc bimembri significata est. Praeterea IV 11, 40 „quisque tuas proavo fregit Achille domos"; hoc, quod est 'proavo Achille' Hertzbergio iudice positum est pro „quibus proavus Achilles adest" vel „quas proavus Achilles tuetur", defectumque praedicati statuit scribens „quod tamen tanto est facilius, quanto propius ei generi, quod per ellipsin participii 'praeditus' vel similium solent explicare". Ergo ille vir doctus vocem 'proavo' praedicatum esse noluit. Sed ellipsin declino, nam poeta hic quoque suam scribendi rationem secutus est. Itaque 'proavo Achille' artissime cum 'tuas domos' conectendum est. 'Tuas domos' hoc loco significat 'tuam gentem' ea translatione, quam habet Verg. Aen. V 121 „domus Sergia"; Cic. de off. I 138 (vide plura exempla apud Kuehner. p. 483). Ergo ablativus originem indicat velut in illo „lapis propria urbe" (supra p. 17), ubi ablativus eadem ratione ad 'lapidem' pertinet. Locus multo clarior esset, si Propertius apposuisset praepositionem 'ex'. Solet enim binas notiones praepositione aliqua conserere reiecta constructione participiali. Inspicias haec exempla: III 9, 1 „eques Etrusco de sanguine regum" (sc. edite); II 17, 6 „ut liquor arenti fallat ab ore sitim" pro 'liquor ab ore arenti relabens'; II 32, 23 „rumor de te" pro 'rumor de te pervulgatus'. Similia etiam prosae orationis scriptores quamvis raro: Cato de agric. XIV „pilas ex lapide, parietes ex latere"; Sall, Jug. 86, 3 „omnia cum pretio videntur honesta", aliaque apud Ciceronem. Apud Livium hic usus frequens invenitur atque statui potest in sermone familiari talia etiam crebriora fuisse. Propertius autem hunc quoque modum migravit praepositionem repudians, ut illa forma „tuas proavo Achille domos" exsisteret inusitata quidem, sed Propertio acceptissima. Ceterum in comparationem voco Claudiani carm. min. XX 15

„Metiturque suo rusticus orbe diem,
Ingentem meminit parvo qui germine quercum
Aequaevumque videt consenuisse nemus."

Poeta exprimit rusticum ab eodem tempore aetatem agere atque ingentem quercum et nemus aequaevum. Haec igitur potius exspectabatur structura verborum: ‘qui meminit ingentem quercum parvum germen fuisse’. Ex ea re elucet hic neque ablativum qualitatis neque absolutum placere posse, ut etiam Birtius in praef. CCXXII ‘parvo germine’ non inter ablativos absolutos, sed inter ablativos liberius usurpatos enumerat. Itaque ad ablativum praepositionem ‘ex’ suppleo eumque cum adiectivo „ingentem“ opinor esse iungendum ita: ‘meminit quercum ex parvo germine ingentem’. Quod si probas, vides intercedere maximam similitudinem inter hunc locum et locos Propertianos.

Pergo in illis locis investigandis, ubi ablativus bimembris nomini alicui apponitur. De iis, qui relinquuntur, variae prolatae sunt sententiae. Postremus Rasner p. 40 hoc scripsit: „Sic autem intelligenda est verborum structio, ut aut ablativum absolutum licentius positum agnoscamus aut ille ablativus alii vocabulo, non verbo temporali attribuendus sit.“ Summatim Rasner totam difficultatem his verbis perstrinxit.

Sed statim occurrunt duo ablativi, de quibus dubites: II 33, 15 „an tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis.“ Vocabula ‘fuscis alumnis’ unam notionem efferre neque ablativum absolutum formare planum est. Hertzbergius, ut solet, ellipsin statuit sive ‘praedita’ sive aliud participium supplens. Quae sententia minime placet neque exemplis comprobari potest. Nam praedicatum praeter formas verbi ‘esse’ sine gravi causa nunquam omittebatur. Propertium talia sibi non concessisse ex Hertzbergii ipsius de ellipsi disputatione videmus (quaest. Prop. p. 124). Nam ubi verbum omittit, ex sententia vicina facile suppleri potest. Alia exempla Hertzbergius neque attulit neque reperiuntur. Iam vero neque ablativus instrumentalis neque modalis neque qualitatis, ad quos alii confugerunt, ad hunc locum explanandum sufficiunt. ‘Fuscis alumnis’ aliquid novi profert et notionem terrae Aegypti pleniorem reddit, ut hic sensus sit: ‘Aegyptus et eius incolae non tibi satis sunt’. Cum autem ‘Aegyptus’ terra in hoc versu locum personae obtineat et quasi nutrix sit, nam alumnos habet, poeta hanc eius cum alumnis societatem non in parataxi, sed in hypo-

taxi posuit. Itaque praepositio 'cum' supplenda est, de cuius usu cf. Kuehner p. 407. 507, Hand Turs. II 134. Praeterea moneo hanc praepositionem a Propertio omnino parce adhibitam esse. Atque certum est eum 'cum' praepositione neglecta suo more adiectivum 'fuscis' addidisse, ut saltem ablativus bimembris evaderet. Eodem pertinet II 30, 38 „et medius docta cuspide Bacchus erit", ubi praepositionem 'cum' omissam esse etiam clarius elucet. Nam 'cuspide docta' non nisi ad Bacchum referri apparet. Hertzbergius de hoc loco iudicat ita ut de reliquis. Hoerle et Uhlmannus ablativum qualitatis intellegunt, sed certe iniuria, cum non dei qualitas significetur, sed solum thyrsus memoretur, quem deus secum gerit. Postulatur igitur 'cum docta cuspide'; cf. Hand Turs. II 143, qui scripsit haec: „De veste hominum et de armatura et de aliis rebus, quibus quis instructus incedit", praepositio 'cum' ponitur. Videasque Cic. pro Rab. Post. 27 „Scipionis cum chlamyde statuam videtis." Denique etiam alii poetae hanc praepositionem respuerunt ut Verg. in Aen. IX 815 „praeceps saltu sese omnibus armis in fluvium dedit." Imprimis autem premo versum Aen. VII 187 simillimum „ipse Quirinali lituo parvaque sedebat trabea", ubi Wagner in comment. de omissione praepositionis 'cum' monet, quae raro apud Vergilium occurrit. Etiam Ruddimannus in Syntaxeos l. I p. 268 sub margine pauca exempla collegit, in quibus 'cum' excidit. Ceterum attributum 'docta' substantivo 'cuspide' apponitur, quia Bacchus Musarum choros egit. Propertium quia nomina cum huius generis appositis ei familiaria erant, praepositionis defectum non sensisse verisimile est. Huc quoque spectant II 12, 6 sq. „fecit et humano corde volare deum: scilicet alterna quoniam iactamur in unda." Artifex enim Amorem ita finxit, ut ei alas adderet et cum corde humano volantem faceret, id est: 'cum levi corde, ut hominum est', quam opinionem v. 7 luculente probat. Hertzbergius hunc ablativum pro: „in humano corde" positum esse in comment. p. 125 et in quaest. Prop. p. 135 censet. Videas quaeso etiam vv. 9—11, qui eius sententiae repugnant. Non aliter interpretor II 12, 16 „assiduusque meo sanguine bella gerit" subintellegens 'cum meo sanguine'. Rasner p. 42 praepositionem 'in' supplendam esse putat, quae opinio nescio an placeat.

Obiter affero I 4, 4 „hoc magis assueto ducere servitio“ (sc. vitam), quia Rothstein hic ablativum absolutum liberius usurpatum agnovit. Sed rectius ablativum instrumentalem dicemus, qui in tali iunctura non minus usitatus erat quam praepositio ‘in’ cum ablativo; cf. Kuehner p. 379, Draeger I 553. Livius praecipue hunc ablativum nudum posuit. Sive igitur hanc, sive illam rationem praefers, nullo modo ablativus absolutus statui potest; praeferemus fortasse defectum praepositionis ‘in’. Talia non reperiuntur in Verg. Ecl. et apud Catullum. Nam in Ecl. X 24 „venit et agresti capitis Silvanus honore“ ablativus qualitatis est, cum ornatus agrestis in Panis capite ad eius speciem assiduam pertineat (cf. Lucr. IV 586 „quom Pan pinea semiferi capitís velamina quassans“). Idem in Ecl. VI 67 „Linus divino carmine pastor“ ablativum qualitatis habemus.

Restant duo exempla, quae interpreti maximam parant difficultatem. III 22, 13 „qua rudis Argoa natat inter saxa columba“, Ad certum iudicium vix perveniemus, tamen interpretatione antecedente freti rem explanare conemur. Illud ‘Argoa columba’ non habet substantivum vicinum, quocum coniungi possit, neque hunc ablativum absolutum dixeris. Est ablativus bimembris, sed in eo praedicatum deest; immo ‘Argoa’ epitheton est ornans, ut illa epitheta in dictionibus: „Aetnaeo fulmine, docta cuspide, fuscis alumnis, parvo germine“. Neque vero sumere licet praedicati ellipsin inauditam, ut intellegatur ‘Argoa columba duce’ vel ‘praevolante’ neque sententiam secundariam hoc ablativo expleri, quasi legamus ‘cum Argoa columba adesset’, quoniam talem defectum in Properti carminibus comprobari non posse iam supra dixi. Sed id certe tenendum est Hertzbergium huius formulae sensum optime expressisse. Deinde de ablativo modi, qui rem comitantem significat, cogitari non posse per se elucet, quam opinionem Hoerle protulit. Postremo affero Rothsteini et Wagneri (diss. p. 18) sententiam, qui ablativum instrumentalem agnoscunt. Quae opinio probabilior esset, si legeretur: ‘pinus Argoa columba salva natat’. Etsi eam non strenue reicio, tamen non satis probo. Si enim verbis, quae leguntur, vim non faciemus, id apparebit: instrumentum, quo Argonautae vehuntur, Argoa pinus est, columba autem dux vel comes eius, ut plurimi interpretes recte censent

atque ex Propertio ipso II 26, 40 planum est, ubi legimus: „dux erat ignoto missa columba mari". Itaque ablativum 'Argoa columba' comitatum indicare puto sive sociativum esse, qui praepositione caret. Potest autem columba comes dici, nam et hic et in v. II 26, 40 personae munere fungitur, quae viam demonstrat. Et solet quidem adici 'cum' ut in elocutione „cum aliquo proficisci", cf. Cic. Verr. II 62, Planc. 27, Ligar. 22; ubi 'cum' non comitatum solum, sed etiam personam aut rem adiuvantem inducit; cf. Cat. de agric. 141 „quodque cum divis volentibus bene evenit". Claud. cons. Stil. III 174: „hunc tu cum superis praeclare tueris". Iam Barthius (ed. 1777) hanc, quae mihi sufficere videtur, interpretationem protulit ita, ut 'cum' omissum esse sumamus; quae omissio grata fuit Propertio. Denique 'Argoa', quod proprio sensu ad 'pinus' inclinat, poeta apposuit, ut ablativum bimembrem nancisceretur, qui in omissione praepositionum fere necessarius fuit.

Superest versus, qui ab interpretibus vix adnotatione dignus aestimabatur, mihi autem magnam difficultatem parare videtur: IV 4, 60 „vos medium palla foedus inite mea". 'Pallam' per metonymiam accipiendam esse pro matrimonio Hertzbergius in comment. censet. Vocatur palla re vera talaris vestis exterior eademque ampla et fluens, quae proprie feminas honestas decet; cf. Nonius p. 537 (Lindsay ed.), Verg. Aen. I 648 „pallam signis auroque rigentem" et Serv. ad h. l. 'Pallam' autem hoc loco pro muliere ipsa dici verisimilius est (et ita Rothstein). Primum de pronomine 'vos' agitur, quod plurimi editores per interpunctionem ad 'nuptas' referunt; Rothstein vero ad 'viros pugnantes' refert idque optimo iure, ut mihi quidem videtur. Nam 'vos' per asyndeton adversativum in initio versus positum est, ut non nuptas, sed earum contrarium vocari poscas. Accedit, quod in proximo versu 62 verbo 'credite' viros alloquitur puella. Tum vero foedus facere sive pacem inire non feminarum, sed virorum pugnantium erat. Ablativum autem Barthius ita accepit quasi esset „palla mea substrata"; similiter Rothstein in comment.: „Das Erscheinen einer Frau unter den zum Kampf gerüsteten Männern soll die Versöhnung herbeiführen", quibus verbis commendatur 'palla mea' fere pro 'me praesente' intellegi posse. Mihi vero ablativus ad

verbum ‘inite’ referri non posse videtur, cum ‘palla mea’ neque instrumentum neque causa pacis sit. Immo ablativum cum voce ‘medium’ coniungere placet, ut hic sensus evadat „foedus mea palla inter utrosque conveniens inite“, quae dictio ut audax est, ita tamen bonum sensum habet. Denique de eo, quod est ‘medium’, moneo hic plane valere enallagen ipsius adiectivi, et hoc dicere voluisse Propertium: „foedus inite mea palla media“. Nam „medius“ idem est atque „vermittelnd“ vel „Vermittler“, cuius usus documentum addo Cassiod. Var. III 2: „causa amicis mediis abscidatur“.

Postquam hos ablativos insolentius positos tractavimus, ablativos affero absolutos, qui ex ea causa memorabiles sunt, quod re vera non rem comitantem efferunt aut sententiam secundariam compensant, sed aliquam adnotationem adverbialem loci sive originis praebent, quae cum praedicato arte coniuncta est. Hic ablativus absolutus tota latinitate permissus est, tamen apud Propertium saepius invenitur. Pro ablativo locali absolutum videmus positum II 28, 36 „iacet extincto laurus foco“; III 1, 37 „ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro provisum est“ (lapis in sepulcro); III 12, 12 „ferreus aurato neu cataphractus equo“; IV 3, 8 „te modo munito Neuricus hostis equo“, si Beroaldi coniecturam accipimus, cum codices ‘munitus’ praebeant (hic structura „hostis in equo“ evitata est); III 6, 11 „nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto“; locutio ‘strato lecto’ ad ‘speculum’ tantum refertur et significat lectulum, in quo speculum saepissime iacet. Nam Cynthia ad cultum et ornatum augendum etiam speculum semper secum habebat. Quam sententiam comprobat Martial. XI 50, 3 „nunc plorat speculo fallax ancilla relicto“. Hic autem Cynthia de discidio poetae tam tristis est, ut incomptis capillis, cum lacrimis, sine speculo, sine ornatu sedeat inter servas, depingiturque, quo statu quaque maestitia Cynthia domi versetur. Iam plane elucet inter haec tristitiae testimonia ‘lectum stratum’ nullum locum habere. Porro si locutio ‘lecto strato’ ablativus vere absolutus esset, rem comitantem exprimere deberet, quod absurdum esse vides. Ergo haec quae sunt „speculum vidisti“ et „lecto strato“ nullam aliam relationem habere possunt nisi localem. Itaque semper idem observamus: poeta praepositionem

vitavit ablativumque ut bimembrem redderet adiecit 'strato'. Ablativus absolutus usurpatur etiam, ubi quid a persona agitur et praepositio 'a' aut 'per' adhiberi poterat. Quod haec exempla docent: IV 9, 7 „infido hospite Caco non incolumes manserunt", ubi „per infidum hospitem" intellegas. III 1, 38 „provisum est Lycio deo probante", quo in versu 'a' postulatur in genere passivo, ut significetur persona agens. Ablativos vero absolutos agnosco in his locis: II 9, 51 „mihi si media liceat pugnare puella"; II 13, 51 „amisso non nunquam flebis amico"; II 18, 16 „quam gravis amisso Memnone luctus erat", sed tamen fortasse simul praepositio „de" subaudiri potest. Cf. quaeso Claudiani Poll. 199 „rumor urbe capta miserabilis" (sc. 'de', ut Birtius adnotat in praef. CCXXIII).

Sequitur locus difficillimus IV 8, 10 „cum temere anguino creditur ore manus". Verbum 'credere' dativum regit, tamen ablativus 'anguino ore' sequitur. Alii ipsum „ore" dativum esse contendebant; quos impugnat Rasner p. 42 afferens coniecturam Birtii „conditur" pro „creditur", qua mutatione sane sensus optimus fit. Nihilo minus ego ad exempla antecedentia spectans ablativum absolutum non prorsus alienum esse dixerim, qui omisso dativo liberrime positus sit. Molestum sane est, quod 'creditur' hic solito dativo caret; sed eandem audaciam invenio in Claudiani Eutrop. I 8 „cesserunt omnia monstra eunucho consule"; item Stil. I 70 „urgebat patrias suspenso principe curas".

Omnibus ablativis absolutis, qui liberius positi sunt, explanatis ad eos revertor, qui quamquam legitime formati sunt, tamen nimia obscuritate laborantes interpretatione indigent: I 3, 8 „Cynthia non certis nixa caput manibus". Hunc locum, qui a plerisque perperam exponitur, Birtius ex falsa explanatione revocavit in Mus. Rhen. tom. 50 p. 31—65, cum multa exempla auctorum, praecipue autem statuam Ariadnae, quae in Museo Vaticano asservatur, cum eo conferret. Unde graviora haurire mihi liceat. In primis igitur huius carminis versibus se amicam suam in tali habitu vidisse poeta narrat, in quo Ariadna a Theseo deserta iacuisset. Exinde puellam suam describit iacentem ibique poetam imaginem Ariadnae dormientis ad oculos legentium revocare voluisse patet. Iam vero Birtius l. l. p. 38 et 45 docet et Ariadnen

et alias figuras iacentes saepe eundem situm et habitum bracchiorum ostendere talem, ut laevum bracchium in cubito nitatur, laeva manus exterior prona in eo sit, ut caput recipere videatur, sed nondum attingat; dexteram autem manum segniter reflexam in crinibus positam neque ipsum caput hac manu fultum esse. Hic manuum situs vulgo somnum inquietum et perturbatum ostendit. Atque profecto somnus Cynthiae tam levis erat, ut radiis lunae praetereuntis expergisceretur. Quare Birtius versionem loci I 3, 8 proponit „Das Haupt gestützt bei unsichern Händen“ non „auf unsichern Händen“.

Nec aliter res se habet in III 11, 55 „non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda“, ubi Rothstein p. 31 ablativum liberiorem statuit. Quam sententiam non sequor. Nam pronomen ‘hoc’ loco subiecti stat et significat ‘Augustum’, „tanto cive“ loco praedicati, itaque ablativum absolutum legitime formatum agnoscimus. Varias lectiones codices praebent; deteriores enim „fui“, optimi „fuit“ exhibent, quod Phillimore poetae reddidit. Sed scriptura ‘fui’ sine dubio sensum meliorem effert. Cleopatra enim hic verba facit, cum in proximo versu 56 etiam Antonius inducatur his verbis: „et assiduo lingua sepulta mero.“ Similia sunt III 6, 21 „ille potest nullo miseram me linquere facto.“ III 14, 25 „nullo praemisso de rebus tute loquaris.“ Hertzbergius hos quoque ablativos absolutos praedicato omisso licentius formatos esse volebat, id quod iam saepius refutavi. ‘Facto’ pro ‘delicto’ dictum esse demonstravit Lachmannus in Lucret. comment. p. 63; itaque in hoc ablativo absoluto ‘facto’ subiectum, ‘nullo’ autem praedicatum est „während eine Missetat nicht vorhanden ist“, eadem ratione qua legimus IV 7, 33 „hoc etiam grave erat nulla mercede hyacinthos | inicere“. Velim conferas Draeger II 805, qui evicit ablativum vocis ‘nullus’ saepe instar praedicati positum esse. Contra infitior ablativum esse absolutum in v. IV 10, 43 „illi virgatis iaculantis ab agmine bracis“, quem ablativum ipsum quoque Hertzbergius inter liberiores numerat; iniuria, quoniam ad vestem designandam praecipue apud Ciceronem merus ablativus sufficiebat (cf. Kuehner 408), Exempli gratia Verr. V 86 „hoc istum vestitu permulti viderant“. De iunctura ‘illi iaculantis’ cf. Rothstein. Birtius vero ‘illi’ genetivum vulgarem pro ‘illius’ positum esse suspicatur

collato Terent. Heautont. 930 et Neue-Wagener II p. 427. Certe sine causa Schrader coniecit „illi virgatas maculanti sanguine bracas", quod Hosium recepisse miror. Postremo memoratu dignus est v. II 2, 10 „Ischomachi | Centauris medio grata rapina mero". Nam ambigas, utrum ablativus absolutus dicendus sit, qui idem valet atque: 'dum merum medium est', an praepositio 'in' supplenda sit. Certe autem non est ablativus qualitatis cum nomine 'Centauris' coniunctus, quia is raro ad nomen proprium ponitur, cf. Schmalz, p. 381; neque vero ablativus temporis, cum re vera non tempus, sed potius ebrius potorum status depingatur. Ad hunc significandum praepositio 'in' cum ablativo necessaria est, cf. Schmalz, p. 388. Propertio autem licuit 'in' omittere, ut 'medio mero' pro 'in medio mero' stare possit. Compares velim Verg. Aen. III 629 „oblitusne sui est Ithacus discrimine tanto", ubi Wagner in comment. 'in' subaudiendum esse iudicat, cum Draeger, II 807 ablativum absolutum statuat.

Ablativus qualitatis.

Quod ablativus qualitatis multo crebrius quam genetivus nobis obviam venit, non mirum est. Nam usque ad latinitatem, quam argenteam vocamus, ablativus qualitatis omnino praevalebat (cf. Kuehner 455). Genetivus ad quasdam notiones coercitus est. Huc accedit, quod Propertius suam naturam et proprietatem secutus ablativum ad omnes fere adnotationes exprimendas adamabat. Contritum usum praetermittere mihi liceat. Scilicet hic ablativus apud verbum 'esse' praedicativa vi occurrit: I 17, 24 „non ullo pondere terra foret". Deinde vi attributiva ad nomen positus est: II 1, 76 „esseda caelatis siste Britanna iugis"; II 16, 8 „stolidum pleno vellere pecus"; II 16, 44 „quos flavo lumine chrysolithos"; II 25, 41 „pleno teneram candore puellam"; I 16, 24 „frigidaque Eoo me dolet aura gelu"; IV 5, 33 „denique ubi amplexu Venerem promiseris empto"; II 13, 21 „nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno", quod idem est atque nec

fulcrum eburneum habeat lectus, qui mihi sternitur. A. Mau (Nachrichten der königl. Ges. d. Wissensch. Göttingen a. 1896, p. 77) demonstravit fulcrum non pedes, ut Rothstein putat, sed reclinatorium lecti esse („ein Bett mit elfenbeinerner Lehne“). Duos autem sequentes ablativos, quos Rothstein ablativos qualitatis interpretatus est, in vv. I 6, 6 „mutatoque graves saepe colore preces“, III 16, 28 „arborea devia terra coma“, ab adiectivis 'graves' et 'devia' pendere puto. Ablativum vere qualitatis agnosco in v. I 14, 22 „quid relevant variis serica textilibus“ (Seidengewänder mit bunten Geweben). Nam notio principalis serica sunt, cum ablativus 'variis textilibus' eorum proprietatem vel qualitatem accuratius indicet. Rothsteinii autem sententiam, quam ille vir doctissimus de ablativo qualitatis liberiore in comment. p. 14 exposuit non probo. Tum Wagneri opinio p. 19 „peculiarem ablativi instrumentalis usum praebent ei loci, ubi subiectum, quod spectamus, in ablativum instrumentalem, genetivus autem generis ab illo pendens in subiecti casu ponitur“ mihi improbanda est, ut ex dictis elucet. Ille vir doctus per errorem huc afferebat III 5, 5 „mihi mille iugis Campania pinguis aratur“, quod idem esset atque „mille iuga Campaniae“; erravit, nam iuga non iugera, sed tauros, quibus aratur Camdania, significant.

Ablativus modi.

In hoc ablativi genere poetae non multum immutaverunt, quod eius usus aliqua ex parte semper fluctuabat. Ab optimo quidem usu scriptorum abhorret ablativum, qui qua ratione quid fiat exprimit, neque attributo neque praepositione ormare. Quod quamquam iam in prisca latinitate interdum invenitur, tamen usque ad argenteam latinitatem ad nonnulla vocabula restrictum est ut: 'silentio', 'voluntate', 'ioco'; cf. Schmalz p. 379, Kuehner p. 409, Lindsay, Synt. of Plaut. p. 34. Lucretius usurpat hunc ablativum semper fere in vocibus: 'ratione', 'modo', 'pacto' cum attributo coniunctis, cf. Holtze p. 22 sq. Scriptores autem ar-

genteae latinitatis ablativo modi absolute utuntur, cuius usus initium iam Sallustius fecit, Jug. 64, 4 „contubernio patris militabat.“ Apud Propertium positus est his locis: „merito“: I 9, 7. 17, 1. 18, 15. II 12, 9. 15, 47. 33, 29; „immerito“: II 6, 25, 30, 19. III 19, 27. Sed enim dubitari non potest, quin hae formae iam tum pro adverbiis habitae sint (cf. Draeger II 800; Rothstein ad. v. I 17, 1). Porro „consulto“ II 34, 54 (cf. Plaut. Poen. 788, Caes. b. g, V 16), „iure“ in vv. II 6, 8. 8, 40. 30, 17. III 8, 36; „arte“ in vv. IV 1, 6 (nescio an sit instrumentalis), III 7, 32. 3, 50. 5, 26. Hic vero unam difficultatem liceat attingere, quam praebet v. I 17, 3 „nec mihi Cassiope solito visura carinam“, ubi Rothstein et Uhlmann putant participium ‘solito’ solute positum vice adverbii fungi. Sed si Draegerum, II 798, Kuehnerum, p. 777 audimus, qui magna cum cura omnia participia eo modo usurpata enumeraverunt, ‘solito’ nusquam, ne in posteriore quidem latinitate ita adhibitum invenerunt. Sufficit de hoc Properti loco ad H. Priess „Usum adverbii, quatenus fugerint latini poetae“ Marp. a, 1909 p. 81 provocare, qui demonstravit illud ‘solito’ non esse adverbium, sed participium ad ‘mihi’ relatum. Est fortasse qui miretur Propertium hic solito more navigantem, qui alibi a navigatione alienus esse videatur, sed eiusmodi contraria in omnibus fere operibus magnorum poetarum inveniuntur. Exempli gratia affero Tibulli quinque carmina, in quibus Delia varias partes et puellae innuptae et uxoris agit (cf. Leo, Philol. Unters. II p. 20) aut provoco ad quaestionem Homericam aut ad illum librum, quem de contrariis locis Sophoclis nuper scripsit Tycho de Wilamowitz, „Die dramatische Kunst des Sophokles“, Philol. Unters. a. 1917. Scilicet unusquisque poeta diversis locis res et tempora ita formavit, ut ad fabulam tractandam suo ingenio iucunda sint. Multo saepius id fieri potest in carminibus minoribus collecticiis. Itaque Propertius, qui omnes fere, quaecumque condiciones et status inter amantes accidunt, describit, cur non proponat etiam hanc condicionem: „mihi, quia contra voluntatem meae puellae hoc iter facio, Cassiopea petenda non est solito, id est contra consuetudinem meam, cum venti puellae inserviant et optemperent“? Postremo unde probabis poetam iter per mare non saepius fecisse? Nam in hoc quoque carmine 18 eum sine

certa causa proficisci videmus, etsi a puella amatur neque discidium commemoratur. Eodem igitur iure, quo interpretes affirmant poetam in hoc carmine primum profectum esse, nobis dicere licet eum omnino non profectum, sed iter tali modo, quem supra dixi, fictum esse. Ergo mihi non esse videtur, cur id, quod traditum est, mutemus aut formam ablativi absoluti accipiamus, quae alibi non exstat.

Sed pergo in ablativo modi perlustrando. Audacius nomina, quae sequuntur, sine attributo et praepositione sic adhibita sunt, nisi interdum dubitandum est, an ablativus instrumentalis praeferri debeat. I 5, 14 „omnia singultu verba cadunt“. I 4, 6 „formam referas laudibus“, II 22, 22 „labore culta“, IV 1, 139 (?) „palmas labore parasti“. III 19, 24 (?) „portas fraude reclusit amor“. IV 5, 15 „astu caecare maritos“, cf. Pacuv. 377. IV 6, 61 „prosequitur cantu Triton“. IV 10, 23 (?) „Cossus at insequitur Veientis caede“. III 1, 17 „quod pace legas“. III 21, 12 „sorte ducere vices“. II 26, 49 „amplexu votum solvit“. Nescio, an hic ablativus causae statui possit, qui tamen minus placet, quod et vocula ‘iam’ et illud ‘at illi profudit’ nos adducunt, ut ablativum modi praeferamus, quasi sit ‘una cum amplexu’. Huc affero etiam Verg. Ecl. III 18 „insidiis excipere caprum“; Catull. 68, 2 „lacrimis conscriptum“.

Hactenus nomina attributo carentia. Si attributum cum nomine coniunctum est, discernendum est, utrum solum, quomodo actio fiat, an alia res, quae actionem primariam comitatur, significetur. Ubi enim hoc alterum valet, praepositionem ‘cum’ addi usitatum est. Tamen iam in bona latinitate nonnunquam ablativus nudus, etiam apud Ciceronem, invenitur. Propertius duobus tantum locis praepositionem posuit III 6, 37 „multis cum lacrimis“, III 18, 7 „invisae magno cum crimine“; cf. Draeger I 536, qui praepositionem ‘cum’ postulat. Haec exempla affero, ubi ea contra consuetudinem praetermissa est: I 7, 26 „saepe venit magno faenore tardus amor“, ubi Hertzbergius quoque eam desiderat. Tum ambignum est, utrum poeta praepositionem consulto omiserit an potius structuram ablativi absoluti adhibuerit, quod valet de locis his: II 9, 21 „quin etiam multo duxisti pocula risu“; cf. Birtii comment. Berl. Philol. Wschr. 1918, p. 187, qui nonnulla

exempla collegit, in quibus 'risu' pro 'ridens' positum rem comitantem significat. I 5, 15 „et tremulus maestis orietur fletibus horror". III 7, 55 „flens tamen extremis dedit haec mandata querelis". II 34, 59 „hesternis positum corollis languescere", ubi certe non 'in hesternis corollis positum' intelligendum est. Nam hoc dicit poeta potatorem tota nocte inter vina vigilata in somnum cecidisse atque corollis vinctum in proximum diem languescere. Scilicet ad res, quas quis secum fert, significandas praepositio usitata erat. Superest, ut aliqua exempla ablativi modi cum adiectivo ornata proferam, quae nescio an aliter exponi possint: II 25, 4 „Calve, tua venia, pace, Catulle, tua", qui ablativus modi prisco more insertus est, ut quasi in parenthesi stet; cf. Catull, 66, 7 „pace tua". Draeger ablativum absolutum intellegi vult ut etiam in his exemplis: IV 3, 70 „hac sola lege", IV 4, 58 „alterna lege repende" II 34, 41 „desine et Aeschyleo componere verba cothurno". 'Cothurnus' hoc loco tumorem et elationem poetae, id est rationem componendi verba sublimiorem significat; cf. III 17, 39 „non humili referam memoranda cothurno", ubi haud minus ablativus modi cognoscitur. IV 1, 136 „exemplo tuo turba scribat" (Cic. Sull. 79 „vetere exemplo"). I 1, 38 „quanto referet verba dolore mea" (ita Cic. plerumque scripsit). I 17, 23 „felici choro". III 1, 22 „duplici faenore", III 5, 26 „spisso igne coit chorus".

Ablativus causae.

Ablativus causae interioris, praecipue qui post verba, quae affectum significant, legitur, a me neglegi potest, quia usui scriptorum recepto respondet. Fortasse id mirum est, quod passim praepositio „in" abundanter apponitur exempli causa II 4, 28 „gaudeat in puero". Etiam ablativum causae exterioris omnibus temporibus admittebatur, sed apud Ciceronem et Caesarem non tam saepe occurrit (Kuehner, p. 395). I 3, 9 „ebria cum multo traherem vestigia Baccho". I 16, 47 „dominae vitiis differor". II 12, 4 „levibus curis". II 34, 52 „fraternis equis laborat".

(III 12, 16. 29. 25, 9. IV 4, 83). Simile est IV 11, 96 „prole mea Paulum sic iuvet esse senem". Hoerle p. 62, qui hunc ablativum modi esse voluit, non recte iudicavit. Item explano II 25, 35 „at si saecla forent antiquis grata puellis". Neque ablativum absolutum neque dativum accipiamus; nam poeta hoc dicere volebat: 'si antiqua saecla forent, quae propter puellas suas grata fuerunt' eqs. Quo in versu enallagen adiectivi statuo; nam 'antiquus' proprie ad saecla pertinet et significat aetatem priorem, qua puellarum animi luxuria nondum corrupti erant.

Vita.

Natus sum Hermannus Georgius Bausch die XXII mensis Decembris anni 1894 in vico, cui nomen est Oberzeuzheim, patre Georgio, quem morte mihi ereptum esse doleo, matre Katharina e gente Jost. Fidei addictus sum catholicae. Civis Borussus sum. Primis litterarum elementis in ludo publico imbutus gymnasium Montabaurense frequentavi. Vere anni 1914 maturitatis testimonio instructus studiis me dedi. Ineunte bello stipendia feci, sed bracchio dextro amputato domum reversus studiis philologiae Francofurti hieme a. 1915 operam navare coepi. Deinde tribus semenstribus post Monachium migravi, ubi duo semenstria versatus sum. Inde Marpurgum me contuli vere anni 1918.

Docuerunt me viri doctissimi Francofurtenses: v. Arnim, Hermann, Kern, Küntzel, Otto, Petersen, Preiser, Schneider, Schrader, Weber; Monacenses: Baeumker, Crusius †, Fischer, Marcks, Maurenbrecher, Mayer, Rehm, Streitberg, Vollmer, Wilcken, Wolters; Marpurgenses: Birt, Busch, Maass, Natorp, v. Premerstein, Reinhardt (nunc Hamburgi), v. d. Ropp †, Wenck. Ut in seminarium philologum reciperer, Birt, Maass, Reinhardt directorum benevolentia factum est. Exercitationibus historicis et philosophicis me benigne admiserunt Marpurgi v. Premerstein, v. d. Ropp †, Natorp.

Quibus viris doctissimis omnibus gratiam habeo maximam, imprimis vero Birtii praeceptoris memoriam pio animo semper colam, qui ad hanc dissertationem componendam me incitabat et omni modo me adiuvabat.